DE

PRAEPOSITIONUM USU PLATONICO

QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

THEODORUS LIÑA.

MARPURGI CATTORUM.
TYPIS FRIEDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCLXXXIX.

V. ILL.

PRAECEPTORI CARISSIMO

THEODORO BIRT

SACRUM.

Haud ita multis ante annis Tycho Mommsen [1]) disputationibus de linguae Graecae praepositionibus praesertim de *σύν* et *μετά* factis viros doctos magna affecit admiratione. Nam, ut alia omittam, animadversionibus suis non tam usque ad illud tempus omnes viros doctos de *σύν* et *μετά* particulis in maximo versatos esse errore ostendit, quam in universum uberrimos ex ea rerum tractatione fructus redundare comprobavit; et in prima disputationum illarum summo iure contendit, nisi eiusmodi quaestionibus grammaticam linguae Graecae artem absolvi non posse. Talis autem res grammaticas tractandi ratio proposita est disputationibus, quae M. Schanzii auctore eduntur in libro, qui inscribitur »Beiträge zur historischen Syntax der griechischen Sprache. Herausgegeben von M. Schanz. Würzburg 1882«. Quorum virorum doctorum exemplis excitatus meam quoque operam non sine omni fructu fore sperans ad praepositionum *σύν*, *ἀνά*, *κατά* usum Platonicum exponendum aggressus sum.

Sed priusquam singulas harum particularum usus rationes pertractem, nonnulla praemittam. Ac rem ita disponere volo, ut

in primo capite in universum nonnulla de Platonis praepositionibus proferam,

in altero exponam, quomodo Plato se gesserit in interponendo verbo inter praepositiones *σύν*, *ἀνά*, *κατά*, *ἀμφί*, *περί* et substantivum cum iis coniunctum.

In tertio explicandum mihi proposui, quae sit ratio Platonica sive admittendi sive evitandi hiatus inter praepositiones illas earumque substantivum orientis.

In quarto de ea praepositionis *περί* ponendae ratione disputabo, quam grammatici anastropham vocant.

---

1) Programm d. städt. Gymnas. zu Frankfurt a. M. Ostern 1874, 1876, 1879.

In quinto de praepositionum *σύν*, *ἀνά*, *κατά* usu Platonico disseram [1]).

Omnes omisi dialogos, quos non a Platone scriptos esse viri docti consentiunt. In dialogorum temporis ordine constituendo secutus sum Dittenbergerum [2]), non quo ea, quae de his rebus M. Schanz [3]) et Constantinus Ritter [4]) disputaverunt, omni ratione carerent, sed quod Schanzium disputandi genus sex Platonis dialogos praetermittere coegit et tres dialogi, quorum Ritter rationem non habuit (Lysid., Hipp. min., Parmen.) maiorem ordini inserendi difficultatem praebent quam quos neglegere coactus est Dittenberger (Apolog., Tim., Criti.). Hos Schanzium secutus colloco: Apologiam primo loco, Timaeum et Critiam inter Politicum et Leges. — Quod ad textum attinet, C. Fr. Hermannum omnibus in dialogis audiam praeter eos, quos edidit M. Schanz [5]) lectionum diversitatibus additis [6]). Afferentur editionis Stephanianae paginae, dialogis a Schanzio editis apponentur eius editionis numeri (pagina et versus) uncis inclusi.

---

1) Accuratum indicem omnium rerum, quas tractavi, in fine disputationis invenies. — 2) Hermae 16, 321 sqq. — 3) Hermae 21, 439 sqq. — 4) Untersuchungen über Plato. Die Echtheit u. Chronologie d. Platonisch. Schriften. Stuttgart 1888. — 5) Usque ad nostros dies in lucem prodierunt: vol. I continens Euthyphr., Apolog., Criton., Phaedon., II[1] Cratyl., II[2] Theaetet., V[1] Sympos., V[2] Phaedr., VI[2] Charmid., Lachet., Lysid., VII Euthydem., Protag., VIII Gorg., Menon., IX Hipp. I et II., Ion., Menexen., Clithoph., XII[1] Leg. I—VI. — 6) De codicum ratione cf. M. Schanzii libros: Novae commentationes Platonicae. Wirceburgi 1871. Studien zur Geschichte des Platonischen Textes. Würzburg 1874. Ueber den Platocodex der Marcusbibliothek in Venedig. Leipzig 1877.

Caput I.

Generalis de Platonis praepositionibus expositio.

Quod ad huius capitis dispositionem, multum debeo libello Francisci Krebs, qui inscribitur »Die Präpositionen bei Polybius« [1]). In singulis tractandis ex iis, quae de ceterorum scriptorum Graecorum, qui quidem cum Platone comparári possint, exposita sunt usu praepositionali, comparandi causa ea afferam, e quibus, quae ratio intercedat inter Platonis et illorum scribendi genus, perspici liceat. Quibus usus sim libris, singulis locis infra indicabo.

Ac primum quidem de praepositionum frequentia in universum agendum. Quinque eius gradus distincte inter se seiuncti nobis se offerunt. Occurrunt

I.	1.	ἐν	4143	locis
	2.	περί	3267	
II.	3.	πρός	2292	
	4.	κατά	2065	
III.	5.	εἰς	1965	
	6.	ἐκ	1607	
	7.	διά	1391	
	8.	ἐπί	1352	
	9.	ὑπό	1102	
IV.	10.	μετά	914	
	11.	παρά	902	
	12.	ἀπό	467	
V.	13.	ὑπέρ	167	
	14.	ἀντί	136	
	15.	πρό	101	
	46.	σύν	30	
	17.	ἀνά	11	
	18.	ἀμφί	9	
	Summa		21881	

Ac primum obtinet locum praepositio *ἐν*, secundum nulla singulorum casuum ratione habita *περί*, tertium *πρός*. Singulos autem casus nobis respicientibus occurrit secundo loco praepositio *κατά* cum accusativo. Scriptores alii alias praepositiones principatum tenentes nobis praebent, velut historicorum

1) Schanz, Beiträge rel. Heft I pag. 1 sqq. Würzburg 1882.

Herodotus εἰς, item Xenophon. Thucydides maxime dilexisse videtur praepositionem ἐν ut noster, haud multum cedit ei εἰς. Polybius prae ceteris favebat praepositioni κατά c. acc., eadem cadit ratio in Diodorum Siculum. In Flavii Iosephi libris κατά praepositionis aemula est πρός c. acc., cum apud Plutarchum plurimos sibi vindicet locos πρός c. acc. Oratores Attici autem ceteris anteponunt particulas ἐν vel ἐκ, velut Lysias ἐν, Isaeus ἐκ et περί, Isocrates autem saepissime usus est praepositione περί. Philosophorum Aristoteles initio eius operis, quod inscribitur *Πολιτεῖαι*, prae ceteris usus est praepositione ἐκ, cum in Sexto Empirico [1]) palmam tulerit κατά c. acc. et in Plotino [2]) ἐν.

Quodsi summam omnium praepositionum cum paginis editionis Teubnerianae, quae fere sunt 1982, comparamus singulas paginas undenas continere praepositiones invenimus. Hunc numerum non ita magnum esse quos nunc e Krebsii [3]) libello afferam numeri testabuntur. Oratorum Atticorum: Antiphontis singulae paginae edit. Teubner. praebent praepositiones 11—12

Andocidis		13
Lysiae		15—13
Isocratis		14—13
Isaei		11—12
Hyperidis		16—17
Lycurgi		12—13
Dinarchi	paene	16

Apud Polybium autem praepositionum numerus tantopere crevit, ut singulis paginis vicenae sive vicenae singulae occurrant. Summo igitur iure Mommsen [4]) de Platone dicit »Platon hat von allen älteren Prosaikern am wenigsten Präpositionen, steht also schon dadurch der poetischen Diktion näher, wenigstens in den am meisten künstlerisch angelegten Dialogen, wie im Protagoras. Ganze Seiten darin, wie in den Memorabilien Xenophons, gibt es, die nicht eine einzige Präposition enthalten«. Quod ut

---

1) De his omnibus cf. Mommsen, Progr. 1874 § 6 pag. 25—28, Krebs l. c. pag. 4. — 2) Seidel, de usu praeposition. Plotiniano quaestiones, diss. in. Nissae 1886. pag. 7. — 3) l. c. pag. 4. — 4) Progr. 1874 pag. 13.

clarius appareat, tabulam addere mihi liceat, qua quotenas praepositiones singulae singulorum dialogorum paginae contineant, declaretur. Praeterea haec tabula nos docebit longo vitae spatio Platonem haud parvam scribendi generis mutationem fecisse. Nam, ut exemplum afferam, cum Gorgias dialogus, qui sine dubio priori vitae parti attribuendus est, singulis paginis octonas praebeat praepositiones, Timaeus, postremae vitae partis opus, Polybium paene adaequat vicenas amplexus praepositiones.

Nomen dialogi.	Summa praepositionum.	Summa paginar. ed. Teub.	Quotenas singulae paginae praebeant praepositiones.
1. Apologia	284	34	(8,4) 8
2. Crito	135	17	8
3. Euthyphro	194	23	(8,4) 8
4. Protagoras	678	63	(10,8) 11
5. Charmides	205	29	7
6. Laches	352	32	11
7. Hippias minor	162	20	8
8. Euthydemus	325	45	(7,2) 7
9. Meno	300	46	(6,5) 7
10. Gorgias	876	116	(7,5) 8
11. Cratylus	624	79	8
12. Phaedo	945	79	(11,9) 12
13. Symposium	737	62	(11,8) 12
14. Lysis	199	24	(8,2) 8
15. Phaedrus	819	68	12
16. Reipublicae I	283	34	(8,3) 8
II	361	31	(11,6) 12
III	408	37	11
IV	378	31	(12,1) 12
V	445	36	(12,3) 12
VI	355	32	11
VII	459	31	(14,8) 15
VIII	401	30	(13,3) 13
IX	305	25	(12,2) 12
X	470	31	(15,1) 15
17. Theaetetus	885	101	(8,7) 9
18. Parmenides	512	50	(10,2) 10
19. Philebus	778	87	9
20. Sophista	757	82	(9,2) 9
21. Politicus	916	83	11
22. Timaeus	1733	88	20
23. Critias	363	19	(19,1) 19
24. Leges	5249	417	(12,5) 13

Iam vero expedit, quae sint rationes, quae inter singulos casus intercedant, tabulis declarare.

1) Praepositiones unum sibi adiungentes casum.

genetivum		dativum		accusativum	
ἀντί	136	*ἐν*	4143	*εἰς*	1925
ἀπό	467	*σύν*	30		
ἐκ	1607				
πρό	101				
	2311		4173		1925

2) Praepositiones duos sibi adiungentes casus.

	I. dativum	accusativum
ἀνά	—	11
	II. genetivum	**accusativum**
διά	560	831
κατά	48	2017
ὑπέρ	147	20
	755	2868

3) tres casus.

	genetivum	dativum	accusativum
ἐπί	169	432	751
μετά	510	—	404
παρά	321	240	341
περί	1943	7	1317
πρός	117	229	1916
ὑπό	1040	29	33
ἀμφί	—	—	9
	4100	937	4801

Ac particulae unum casum poscentes praepositionis *ἐν* opera plurimos dant locos dativo, proximus est ei genetivus, ultimum tenet locum accusativus una modo praepositione (*εἰς*) fultus. Haec igitur exsistit condicio gen. : dat. : acc. = 1,2 : 2,1 : 1. Praepositiones, quae cum duobus casibus coniungi possunt, *ἀνά* praepositionis ratione non habita, hanc offerunt rationem

gen. : acc. = 1 : (3,7) 4;

particulae tres sibi adnectentes casus hanc

gen. : dat. : acc. = 4,3 : 1 : 5,1.

In secunda igitur serie accusativus multo praecedit genetivum, solum *ὑπέρ* maiorem locorum numerum dat genetivo. In tertia

autem serie genetivus haud parvum capit incrementum; ibi enim primas agit partes apud μετά, περί, ὑπό, cum accusativo reliquae omnes principem dent locum, nulla dativo; quamquam apud ἐπί et πρός hic casus genetivo praestat.

Atque his e rationibus plane apparet apud Platonem primum obtinere locum accusativum, secundum genetivum, tertium dativum, qui casus, nisi ἐν praepositionem contineret, quae omnium saepissime invenitur, cum genetivi et accusativi multitudine vix comparari possit. Quod quam recte sit dictum docebit nos casuum condicio, quae e summa omnium locorum, quos singuli sibi vindicant, sequitur.

genetivus sibi iungit	7166	locos
dativus	5110	
accusativus	9605,	ut ratio sit haec

gen. : dat. : acc. = 1,4 : 1 : 1,8.

Hic accusativi principatus aliquid admirationis nobis iniciet, si casuum condiciones aliorum huius aetatis scriptorum considerabimus. Nam oratorum Atticorum e numero genetivo maxime favent Antiphon, Lysias, Isaeus, Hyperides, Dinarchus. Idem faciunt Andocides, Lycurgus, Demosthenes, Aeschines, Xenophon in Memorabilibus, Theophrastus, ita ut genetivus non tanto ceteros superet casus, quanto apud illos. Isocrates [1]) genetivo et accusativo parem fere tribuit numerum, in Polybii [2]) autem libris simile aliquid atque apud nostrum invenimus. Accusativus ibi palmam tulit et ratio haec est

gen. : dat. : acc. = 2,2 : 1 : 4,5.

Idem fere cadit in Plotinum [3])

gen. : dat. : acc. = 1,1 : 1 : 1,5.

---

1) De his omnibus cf. Mommsen Progr. 1874 § 4 pag. 15—22.

2) Krebs l. c. pag. 7. — 3) Seidel pag. 9, Mommsen Progr. 1874 pag. 17. Seideli et Mommseni numeros, ut facilius cum nostris comparari possint, ad illos mutavi, Seidel praebet gen. : dat. : acc. = 4,2 : 3,7 : 5,1. Mommsen

Aeschylus.	gen.	: dat.	: acc.	= 5	: 5	: 4
Sophocles.	»	: »	: »	= 3	: 2	: 4
Euripides.	»	: »	: »	= 4	: 4	: 5
Aristoph.	»	: »	: »	= 3	: 2	: 3

Platonis igitur oratio iam eo tendere videtur, quo scriptores aetatis Polybianae venerant, id quod eo maiori nobis debet esse mirationi, cum in eo, quo utitur scribendi genere, in philosophico et dialectico, genetivi, ut Mommsen [1]) docet, praevalere soleant. Accedit, quod eadem praepositio, quae apud Polybium saepissime omnium occurrit, *κατά* c. acc., apud nostrum quoque non solum plurimos sibi iungit accusativos, sed etiam post *ἐν* maximum locorum numerum offert et, ut tabula docebit, in posterioribus dialogis plerumque accusativo primum locum dat. Quodsi poetarum scaenicorum condiciones, quas offert Mommsen [2]), cum nostro auctore comparamus, maxime eum cum Euripide et Aristophane consentire invenimus.

Aeschyli haec est gen. : dat. : acc.	= 1	:	0,1	:	0,3
Sophoclis	= 1,5	:	1	:	1
Euripidis	= 1	:	1	:	1,25
Aristophanis	= 1,5	:	1	:	1,5

Sed in hac quoque re longum eius vitae spatium causam fuisse diversitatis scribendi generis e tabula perspici licebit, quae, quis casus et quacum praepositione coniunctus in singulis dialogis ceteris antecellat, ostendet. Praepositio *ἐν* nimirum hac in tabula non in calculum vocatur. Nam omnibus in dialogis praeter Euthyphronem, Lachetem, Sophistam, Timaeum, sextum Legum librum principatum tenet. Superatur in Euthyphrone a praepositione *περί* c. gen. (*ἐν* 20, *περί* c. gen. 37), in Sophista et Timaeo a praepositione *κατά* c. acc. (Sophista *ἐν* 105, *κατά* c. acc. 115; Timaeus *ἐν* 211, *κατά* c. acc. 253), cum in Lachete praepositio *περί* c. gen. et in sexto Legum libro *εἰς* eam adaequet. (Laches *ἐν* et *περὶ* c. gen. 78, Leg. VI *ἐν* et *εἰς* 88).

---

1) Mommsen Progr. 1874 pag. 18. -- 2) v. pag. 7 adn. 3.

Nomen dialogi.	Obtinet locum primum.	secundum.
1. Apologia	acc. πρός (29)	gen. ὑπό (28)
2. Crito	acc. εἰς (14)	gen. ἐκ et περί (13)
3. Euthyphro	gen. περί (37) ὑπό (23)	acc. διά (22)
4. Protagoras	gen. περί (84)	acc. πρός (77)
5. Charmides	gen. περί (28)	acc. πρός (25)
6. Laches	gen. περί (78)	acc. πρός (28)
7. Hippias minor	gen. περί (26)	acc. εἰς (20)
8. Euthydemus	acc. πρός (33)	gen. ἐκ (27)
9. Meno	gen. περί (50)	acc. κατά (20) πρός (20)
10. Gorgias	gen. περί (92)	acc. πρός (82)
11. Cratylus	acc. κατά (75)	gen. περί (63)
12. Phaedo	gen. ἐκ (106)	acc εἰς (100)
13. Symposium	gen. et acc. ὑπό c. gen. (57)	pari sunt numero εἰς (57)
14. Lysis item	περί c. gen. (26)	διά c. acc. (26)
15. Phaedrus	gen. περί (86)	acc. εἰς (70)
16. Reipublicae I	acc. πρός (35)	gen. περί (18)
II	gen. et accus. ὑπό c. gen. et εἰς	pares sunt inter se et πρός c. acc. (28)
III	acc. εἰς (37)	gen. ἐκ (28)
IV	acc. εἰς (36)	gen. ὑπό (23)
V	acc. πρός (56)	gen. περί (41)
VI	acc. εἰς (35)	gen. περί (31)
VII	acc. πρός (67)	gen. περί (38)
VIII	gen. ἐκ (46)	acc. εἰς (42)
IX	acc. πρός (29)	gen. ὑπό (21)
X	gen. περί (52)	acc. εἰς (46)
17. Theaetetus	gen. περί (123)	acc. κατά (78)
18. Parmenides	acc. πρός (70)	gen. ἐκ (43)
19. Philebus	acc. εἰς (70)	gen. περί (66)
20. Sophista	acc. κατά (115)	gen. περί (71)
21. Politicus	acc. κατά (130)	gen. ἐκ (64)
22. Timaeus	acc. κατά (253)	gen. ἐκ (187)
23. Critias	acc. κατά (50)	gen. ἐκ (33)
24. Legum I	acc. πρός (81)	gen περί (46)
II	acc. κατά (27)	gen. περί (21)
III	acc. κατά (64)	gen. ἐκ (36)
IV	acc. κατά (40)	gen. περί (32)
V	acc. κατά (44)	gen ἐκ (28)
VI	acc. εἰς (88)	gen. ἐκ (57)
VII	acc. περί (72)	gen. περί (60)
VIII	acc. κατά (41)	gen. περί (37)
IX	acc. κατά (58)	gen. περί (54)
X	acc. εἰς (51)	gen. περί (39)
XI	acc. κατά (63)	gen. περί (45)
XII	acc. εἰς (68)	gen. περί (51)

In prioribus igitur dialogis genetivus imperium tenet, deinde certat cum accusativo, qui in posterioribus victor evadit.

Fortasse denique non omni carebit fructu, quas singuli sibi vindicent casus praepositiones tabulis demonstrare.

genetivus		dativus		accusativus	
1. περί	1943	1. ἐν	4143	1. κατά	2017
2. ἐκ	1607	2. ἐπί	432	2. πρός	1946
3. ὑπό	1040	3. παρά	240	3. εἰς	1925
4. διά	560	4. πρός	229	4. περί	1317
5. μετά	510	5. σύν	30	5. διά	831
6. ἀπό	467	6. ὑπό	29	6. ἐπί	751
7. παρά	321	7. περί	7.	7. μετά	404
8. ἐπί	169			8. παρά	341
9. ὑπέρ	147			9. ὑπό	33
10. ἀντί	136			10. ὑπέρ	20
11. πρός	117			11. ἀνά	11
12. πρό	101			12. ἀμφί	9
13. κατά	48				

Primores genitivi patroni sunt περί, ἐκ, ὑπό. Plurimos accusativos sibi vindicat κατά, proxima sunt ei πρός, εἰς, περί.

Restat, ut de singulis praepositionibus nonnulla addamus eodem ordine, quo eas pag. 6 attulimus. — De σύν, ἀνά, κατά postea accuratius agetur. — διά maiorem locorum numerum tribuit accusativo, quod idem in Polybium [1]) cadit (διά c. gen. 847, c. acc. 1371). — ὑπέρ, cuius maior pars genetivi est, cum praepositione πρό certare videtur. Nam cum apud Platonem iam aliquanto ei praestet (ὑπέρ c. gen. 147, πρό c. gen. 101), in libris Polybianis [2]) plus altero tanto frequentior est quam πρό (ὑπέρ c. gen. 533, πρό 221). — E locis, quibus invenitur ἐπί, plurimi accusativum praebent, cum secundo loco dativus, tertio sequatur genetivus. Accusativus unus plus possidet locos quam reliqui duo, dativus et genetivus. Similis ratio nobis occurrit in Polybio [2]), sed genetivus ibi tantum cepit incrementum, ut dativo haud parvum praestet.

		c. gen.	dat.	acc.
Apud Platonem	ἐπί	169	432	751
Apud Polybium	»	631	437	1318

1) Krebs l. c. pag. 6. — 2) Krebs l. c. pag. 6.

μετά dativum deposuit et genetivus accusativo centum fere locis anteit. Neque aliter se habent numeri, quos Polybius [1]) offert.

Plato	μετά c.	gen.	acc.
		510	404
Polyb.	»	808	671

παρά genetivo et accusativo eundem fere locorum numerum tribuit, dativus illis haud paulo cedit. Sed cum apud Platonem accusativus maiorem numerum possideat, apud Polybium [2]) a genetivo aliquantum superatur et dativus prae accusativo crevisse videtur.

Plato	παρά c.	gen.	dat.	acc.
		321	240	341
Polyb.	»	554	416	491

Permagni autem interest videre, quomodo in περί praepositione utenda se gesserit Plato, cuius scribendi genus dialecticum persaepe eius ponendae facultatem dedisse per se patet, ut secundum obtineret locum. Ac dativum, qui magis est sermonis poetici, paene abiecit, septies modo occurrit. Post Platonem magis magisque decrescere videtur. Nam Aristoteles [3]) duobus locis haud bene traditis eum praebet, Theophrastus [4]) autem omnino non habet, cum in Polybii [5]) et Plotini [6]) operibus singulis locis inveniatur. Inter genetivum et accusativum, si summam omnium locorum spectamus, haec intercedit ratio, ut longe plurimos sibi vindicet genetivus; singulorum autem dialogorum ratione habita in posteriore Platonis vitae parte accusativus prae genetivo crescere videtur. Prioris enim vitae Platonicae spatii dialogi ad unum omnes praeter Symposium, quod genetivo attribuit 39, accusativo 40 locos, illis temporibus nostrum scriptorem genetivo magis quam accusativo favisse testantur. Contrarium autem factum videmus in his dialogis posteriori aetati assignandis:

---

1) Krebs l. c. pag. 6. — 2) Krebs l. c. pag. 9. — 3) R. Eucken, Ueber den Sprachgebrauch des Aristoteles. Beobachtungen über die Präpositionen. Berlin 1868 pag. 64. — 4) Ueber den Sprachgebrauch des Theophrast. v. W. Müller. Progr. des Fürstl. Gymnas. zu Arnstadt 1878 pag. 20. — 5) Krebs l. c. pag. 6. — 6) Seidel l. c. pag. 9.

	περί c. gen.	acc.
in Reipubl. libr. IX	11	18
Sophist.	71	76
Politic.	53	92
Tim.	88	116
Criti.	21	29
Leg. libr. III	23	33
V	16	16
VI	48	61
VII	60	72

Quae omnia optime id tuentur, quod antea [1]) contendi: Platonis orationem eo tendere, quo venerat aetas Polybiana. Nam Polybii [2]) quoque usus *περί* praepositionis principatum dat accusativo.

περί c. gen.		dativ.	acc.
Plato	1944	7	1316
Polyb.	1114	1	1819

Praepositionis *πρός* usus Platonicus iam id significare videtur, quod apud Polybium [3]) factum videmus: accusativum omnes fere locos sibi adsumere.

πρός c. gen.		dat.	acc.
Plato	117	229	1946
Polyb.	3	210	3258

Genetivus cum *ὑπό* praepositione coniunctus dativo et accusativo nihil fere reliquit, cum in Polybii [3]) libris tantopere accusativi usus creverit, ut paene dimidium locorum, quos genetivus possidet, amplectatur.

ὑπό c. gen.		dat.	acc.
Plato	1040	29	33
Polyb.	672	11	280

Iam reliquum est, ut de *ἀμφί* praepositione pauca addamus. Genetivus et dativus, qui Herodoto excepto a sermone pedestri abhorrent [4]), nimirum non occurrunt, accusativus autem nisi in formula *οἱ ἀμφί τινα* non usurpatur. Omnino novies occurrit apud Platonem. Errat igitur Seidel [5]), cum contendat „semel

1) pag. 8. — 2) Krebs l. c. pag. 9. — 3) Krebs l. c. pag. 9. — 4) Kühner, Ausführl. Gramm. der griech. Sprache pag. 288 sqq., G. Bernhardy, Wiss. Syntax d. griech. Sprache pag. 214 sqq. — 5) l. c. pag. 12.

etiam apud Platonem eadem fere in formula' (sc. invenitur *ἀμφί*). Successit in locum eius synonymum, quod vocatur, *περί* [1]). Ac Thucydides *ἀμφί* bis praebet coniunctum cum accusativo [2]): VII 40, 2 *καὶ τὰ ἀμφὶ τὸ ἄριστον*, VIII 65, 1 *οἱ ἀμφὶ Πείσανδρον*. Post Platonem autem haec praepositio iam non in usu esse videtur. Neque enim Aristoteles [3]) neque Theophrastus [4]) neque Polybius [5]) exempla habent. Attamen semel occurrit in Plotino [6]) *τῶν ἀμφὶ Πυθαγόραν*.

Caput II.

De interpositione.

Iam venimus, ut erat propositum, ad exponendum, quomodo Plato se gesserit in vocibus inter praepositiones *σύν*, *ἀνά*, *κατά*, *ἀμφί*, *περί* et substantivum cum iis coniunctum interponendis. Magno mihi est dolori, quod de hac re, quae sine dubio in iudicio de alicuius scriptoris scribendi genere faciendo haud parvi est momenti, nusquam fere quidquam inveni. Praeter Krebsium [7]), qui Polybii, et Seidelium [8]), qui Plotini huius rei usum tractavit, nemo de hac re accuratius disputavit; nam libri grammatici id brevissime tangunt [9]). Atque ut ad Platonem revertamur, singula ita afferam, ut eum praepositionum et dialogorum ordinem, quo antea usus sum, retineam.

σύν. — Praepositio *σύν* duobus locis a substantivo segregatur: Leg. VIII 832 C vocula *ἀεί*, XII 947 C vocula *δέ*.

ἀνά praepositio nullum huiusmodi locum praebet.

κατά c. gen. semel voce *γάρ* interponenda a substantivo avellitur: Menon. 76 A (122, 30).

---

1) Mommsen, Progr. 1874 pag. 10. — 2) P. Debbert, De praeposit. *περί* et *ἀμφί* usu Thucydid., diss. in. Regim. 1880. pag. 29. — 3) Eucken l. c. pag. 36. — 4) W. Müller l. c. pag. 9. — 5) Krebs pag. 98. — 6) Seidel pag. 12. — 7) Krebs pag. 20. — 8) Seidel pag. 24. — 9) Bernhardy, Syntax pag. 198; Kühner, Griech. Gramm. § 619 Anm. 3 pag. 315 et § 626 pag. 321; Krüger, Ausführl. griech. Gramm. B. II. § 452, 1 pag. 480.

κατά c. acc. — Maiorem locorum *κατά* praepositionis cum accusativo copulatae numerum huic ponendi rationi magis favisse per se patet. Ac rem ita instituam, ut a minoribus vocibus interpositis transeam ad maiores ordine alphabetico usus. Ordiar a verbis monosyllabis. Interponuntur:

γάρ semel: Cratyl. 393 C (17, 22).

γὲ quater et vicies: Charmid. 159 D (9, 12. 15) — Gorg. 475 E (42, 1) — Cratyl. 435 C (81, 15) — Phaedon. 69 D (107, 4) — Reipubl. II 368 B, III 404 E — Theaetet. 183 C (60, 9) — Phileb. 12 E, 32 C, 34 B, 41 B, 43 E — Sophist. 265 D (79, 1) — Politic. 259 B, 260 B, 277 A, 291 C — Tim. 21 D — Leg. II 653 C (35,8), 663 D (48, 15), IV 723 A (122,27), VII 811 C.

γοῦν uno loco: Reipubl. X 613 B.

δέ saepissime interpositum videmus: vicies sexies: Gorg. 504 E (84, 15) — Cratyl 405 C (35, 29. 33) — Reipubl. III 404 E, IV 436 E, IX 587 D, X 614 D — Theaetet. 160 D (27, 34), 160 E (28, 2), 167 B (37, 3), 167 C (37, 12) — Parmen. 154 A, 155 B, 159 A — Phileb. 36 A — Sophist. 266 D (80, 21), Tim. 22 E, 27 B, 46 C, 55 A, 88 C — Criti. 113 C, 118 A, 119 A — Leg. I 634 C (13,24), VII 796 B.

δή vocula *κατά* seiungitur a substantivo decem locis: Menon. 88 D (142, 6) — Reipubl. I 334 D — Parmen. 155 C, 157 A — Phileb. 24 D — Sophist. 223 B (11, 20), 235 C (30, 9) — Politic. 306 B — Tim. 39 A — Leg. III 692 A (84, 22).

μέν novem locis: Gorg. 471 A (34,30) — Reipubl. III 436 E — Theaet. 160 D (27, 33), 167 B (37, 3) — Phileb. 36 A — Politic. 310 D — Tim. 78 C — Leg. VII 796 B, 812 A.

τὲ interponitur duodevicies: Phaedr. 245 A (25,8) — Reipubl. V 466 C, VII 522 A — Theaetet. 153 C (17, 2) — Phileb. 56 B — Politic. 270 E — Tim. 18 C, 19 C, 55 E, 89 A — Leg. III 698 B (92, 11), V 732 C (131, 5), 732 D (131, 15), 741 A (141, 31), VI 775 D (179, 16), VII 797 C, VIII 829 C, X 894 B.

Genetivi interpositio facta est octo locis: Cratyl. 397 B (22, 27) *προγόνων* — Phaedr. 271 A (62, 28) *σώματος* — Reipubl. II 382 E *σημείων* — Parmen. 141 E *τούτων* — Politic. 306 D *φωνῆς* — Leg. IV 711 D (107, 31) *πλούτων*, 744 B (146, 1) *σωμάτων*, 744 C (146, 2) *πλούτου*.

Iam vero binis voculis praepositio et substantivum secernuntur his octo locis: Gorg. 472 E (37,11) κατά δέ γε τὴν ἐμὴν δόξαν — Cratyl. 405 B (35,27) κατὰ μὲν τοίνυν τὰς ἀπολύσεις — Sympos. 203 D (43,15) κατὰ δὲ αὖ τὸν πατέρα — Parmen. 159 A κατὰ μὲν ἄρα ἑκάτερον τὸ πάθος — Politic. 307 D κατὰ γὰρ οἶμαι τὴν ξυγγένειαν — Criti. 112 E κατά τε σωμάτων κάλλη — Leg. VI 777 A (181, 7) κατὰ δὲ θηρίων φύσιν, VIII 834 B κατά γε δὴ Κρήτην.

Summa omnium interpositionum est 105. Quocum numero numerum omnium locorum, quibus omnino praepositio κατά occurrit, comparantes vicenis κατά praepositionibus singulas eiusmodi interpositiones respondere invenimus. Iterum atque iterum doleo, quod nulla huius generis disputatio in alio scriptore versata mihi praesto est. Nam etsi Krebs quas interponit voculas Polybius affert, non exponit, quae sit ratio, quae intercedat inter interpositionum et praepositionum numerum; neque aliter hanc rem tractavit Seidel. Sine tali autem disputatione comparandi causa adhibita difficile est diiudicatu, quomodo scriptor noster hac in re se gesserit. Mea quidem sententia quos inveni numeri Platonem non ita parcum fuisse ostendunt. Iam praetermittendum non est posterioris aetatis dialogos imprimis hunc ponendi morem habere. Nam sex fere partes omnium interpositionum in iis insunt dialogis, qui sine dubio non in priore vitae Platonicae parte confecti sunt, velut in Timaeo duodecim, in Legibus viginti duo exempla. Quotenas singuli dialogi contineant huiusmodi interpositiones, in fine huius capitis una cum iis, quibus περί a substantivo suo seiungitur, tabula accurate explicabo.

ἀμφί unam interpositionem vocula τὲ factam praebet: Protag. 316 D (59,31).

Denique ut etiam περί praepositionem hunc in modum tractaremus, nobis proposueramus.

Initium ducemus a genetivo, eodem ordine, quo antea usi. Omnes autem locos, quibus Plato ea usus est ponendi ratione, quam grammatici anastropham vocant, praeteribimus, cum postea de his accuratius agere nobis in animo sit.

γάρ interpositum videmus ter: Phaedr. 241 E (20,27) — Reipubl. II 358 E, III 392 A.

γὲ decies: Euthyphr. 7 B (10,10), 8 B (12,4) — Phaedon. 92 A (144,21) — Reipubl. V 457 D — Theaetet. 183 D (60,26) — Phileb. 47 C — Leg. I 640 C (21,12), 650 A (33,32), III 694 C (87,12), 698 A (91,30).

δέ tricies quater: Protag. 313 A (5·,11), 315 E (58,21), 347 C (95,21) — Lachet. 181 C (35,2), 198 B (57,13) — Cratyl. 406 C (37,16), 407 D (39,7) — Sympos. 196 B (33,30), 196 D (34,15) — Phaedr. 246 A (27,9), 250 C (33,21) — Reipubl. X 599 C — Theaetet. 177 D (51,29), 194 B (76,7) — Phileb. 39 C, 47 C — Sophist. 243 D (43,8), 254 B (60,15), Politic. 274 B. 296 B — Tim. 40 D, 44 C — Leg. I 635 E (15,16), 636 E (16,27), IV 714 B (111,11), VI 767 E (170,30), 774 C (178,2), 775 A (178,27), 778 D (183,10), VII 814 D, 822 D, 836 B, VIII 845 E, 847 D.

δή septies: Theaetet. 185 A (62,20) — Sophist. 263 D (75,21) — Politic. 283 C — Tim. 23 E, 63 E — Leg. I 644 D (26,22), IX 859 C.

μέν decies: Protag. 313 B (55,15), 347 C (95,20), Charmid. 154 A (2,7), 170 E (23,2) — Phaedr. 236 B (12,29)[1] — Phileb. 39 C — Sophist. 254 B (60,15), 258 E (68,19) — Tim. 89 D — Leg. V 732 D (131,17).

τὲ vicies sexies: Criton. 48 C (74,18) — Euthyphr. 6 A (7,26) — Charmid. 153 D (2,3) — Phaedon. 101 E (160,7) — Sympos. 219 B (63,17) — Reipubl. I 343 C, III 393 B, IV 442 E, V 462 D, VI 485 B, VII 541 B, IX 578 E — Theaetet. 169 D (40,11) — Phileb. 20 B, 29 D — Sophist. 232 D (26,3) — Politic. 272 D, 285 B, 298 C — Tim. 29 B, 47 A — Criti. 119 D — Leg. III 702 A (97,1), IX 864 D, X 902 C, XI 914 A.

G e n e t i v u s non ita raro interpositus est: undevicies: Euthydem. 277 E (10,6) *ὀνομάτων*, 279 E (12,23) *γραμμάτων*, 304 E (45,29) *οὐδενός* — Gorg. 455 B (13,6) *ἰατρῶν*, 474 D (40,7) *σώματος*, 521 D (106,25) *τούτων* — Phaedon. 66 E (153,1) *τούτων* — Lysid. 209 E (69,23) *ὄψον* — Phaedr. 266 D (56,23)

---

1) Verba 230 E (6,2) ad Lysiae oratoris dicendi genus a Platone ficta et bis 262 D (51,1) et 262 E (52,21) ad verbum repetita sunt.

λόγων, 270 D (62,6) ὁτουοῦν — Theaetet. 178 C (53,7) οἴνου, 207 C (95,17) ἁμάξης — Politic. 268 A τούτων, 292 D ἀνθρώπων — Criti. 106 B θεῶν — Leg. IV 723 E (123,22) θεῶν, VIII 828 D χρόνου, X 891 E θεῶν, idem XI 930 E. Etiam περί ut κατά duabus vocibus a substantivo suo separari potest. Semel et vicies hoc factum est. In enumerandis locis ordinem alphabeticum a priore verborum sumptum sequar paria cum paribus coniungens. Si complures loci eandem habent interpositionem, semper unius tantum textus memoriae verba afferam. γάρ τοι praebent: Phaedon. 60 C (91,14) περὶ γάρ τοι τῶν ποιημάτων, 108 D (171,1), Reipubl. IX 578 C — δέ γε: Charmid. 170 E (23,5) περὶ δέ γε ἐπιστήμης, Gorg. 520 E (105,22) — Criti. 107 B περὶ δὲ δὴ θεῶν — Sophist. 234 E (29,10) περὶ δ' οὖν τοῦ σοφιστοῦ — Leg. XII 949 C περὶ δὲ χορείας τινῶν φοιτήσεων — μὲν γάρ: Reipubl. V 466 D περὶ μὲν γὰρ τῶν ἐν τῷ πολέμῳ, Theaetet. 178 D (53,17), Politic. 274 B — μὲν οὖν saepissime hunc in modum posita sunt: Apolog. 24 B (37,1) περὶ μὲν οὖν ὧν, Protag. 319 C (63,4), Sympos. 196 B (33,29), 196 D (34,14), Phaedr. 246 A (27,9), Theaetet. 177 B (51,15), Tim. 38 B — Iam reperiuntur: Leg. IX 859 A περὶ νόμων δεῖν γραφῆς — Phaedr. 277 B (71,18) περί τε ψυχῆς φύσεως — Leg. III 691 B (83,21) τούτου περὶ τοῦ πάθους γενέσεως.

At auctor noster hac in libertate non acquievit ut in praepositione κατά utenda, sed etiam tres voces interponere non dubitavit. Afferendi sunt loci septem: Cratyl. 400 D (28,26) περὶ δὲ τῶν θεῶν τῶν ὀνομάτων, 403 B (32,17) περὶ τούτου τοῦ θεοῦ τῆς δυνάμεως, Reipubl. VIII 551 C interposita sunt verba ἄλλου οὕτως ὁτουοῦν. Sic enim verba accipienda sunt, si cum Stallbaumio [1]) et C. Fr. Hermanno [2]) verba ἤ τινος spuria esse putamus: περὶ ἄλλου οὕτως ὁτουοῦν (ἤ τινος) ἀρχῆς, Tim. 44 C περὶ σωμάτων κατὰ μέρη τῆς γενέσεως, Leg. I 637 D (17,21) περὶ τῶν νομοθετῶν αὐτῶν κακίας τε καὶ ἀρετῆς,

1) Platonis opera omnia recens., prolegomen. et commentar. illustr. G. Stallbaum Gothae. cf. ad nostr. l. — 2) Platonis dialogi secundum Thrasylli tetralogias dispos. ex recognitione C. Frid. Hermanni Lipsiae. cf. ad nostr. l. vol. IV pag. XVIII praefationis.

IX 880 C περὶ μὲν τῶν παραγενομένων τῆς βοηθείας, XI 933 E περὶ γὰρ αὖ καὶ τούτου.
Quin etiam hyperbatum, quod vocatur, quattuor vocibus factum invenimus Phileb. 51 A περί τε σώματος καὶ ψυχῆς ἀπορίας.
Summum autem libertatis gradum ascendit Plato in dialogo, qui certe ultimis eius operibus adnumerandus est, in Timaeo. Ibi enim quinque voces intercalare ausus est: 40 D τὰ περὶ θεῶν ὁρατῶν καὶ γεννητῶν εἰρημένα φύσεως ἐχέτω τέλος.

Ac summa omnium genetivorum, qui hoc modo a particula sua περί remoti sunt, est 139, omnes autem genetivi, qui omnino a praepositione περί pendent, iis, quibus anastrophica positio usurpata est, locis omissis efficiunt numerum 1605, ut duodeni circiter loci, quibus occurrit praepositio cum genetivo, singula habeant hyperbata. In hac igitur praepositione ponenda Plato legibus minus severis se astrinxit quam in κατά particula, quae non tam ratione (1:20) quam numero verborum intercalatorum a περί praepositione superatur. Quanta autem libertate verba intercalandi Plato usus sit in anastrophica positione, postea [1]) videbimus. Denique adnotandum videtur hic quoque posteriores dialogos interpositionum copia prae ceteris florere.

περί dativum sibi adiungens, quod omnino septies reperitur, uno loco intercalationem passa est voculae δέ: Reipubl. II 359 E.

Paulo autem cautius quam apud genetivum Plato interpositione usus est iis locis, quibus περί praepositionem cum accusativo coniunxit. Singula eodem ordine quo antea afferam.

γάρ interpositum videmus duobus locis: Sophist. 238 A (34,2), 255 A (61,30).

γὲ tribus locis: Cratyl. 411 D (45,2) — Leg. VI 777 C (181,24), X 898 A.

δέ undeviginti locis: Gorg. 501 D (79, 17), 505 B (84, 28), 507 B (87,25) — Phaedr. 263 A (51,10) — Reipubl. VII 538B — Theaetet. 159 E (26,26), 179 C (54,13) — Phileb. 39 E, 59 A —

1) pag. 26.

Sophist. 225 D (15,21), 229 A (20,25), 243 C (43,2) — Politic. 270 D, 305 D, 307 D — Criti. 116 E, 118 C — Leg. V 732 D (131,11), VIII 845 D.

δή duobus locis: Reipubl. VI 505 E — Politic. 307 D.

μέν sedecies: Hipp. min. 367 A (40,9) — Gorg. 501 D (79,16), 507 A (87,23) — Phaedr. 263 A (51,9) — Reipubl. VII 538 B — Theaetet. 159 E (26,25), 179 D (54,24) — Phileb. 39 E — Sophist. 229 A (20,25. 28), 243 C (42,30) — Politic. 290 D — Tim. 73 E — Leg. VI 759 A (160,20), 768 C (171,15. 17).

οὖν uno loco: Phileb. 58 B.

τὲ ter et vicies: Phaedon. 74 E (116,9) — Phaedr. 259 D (46,4) — Reipubl. I 329 A, V 463 D — Phileb. 51 B – Politic. 280 D, 281 E, 299 D, 307 A — Tim. 24 C, 37 B, 56 C, 64 C – Leg. I 631 D (10,13), 636 D (16,17), II 660 B (40,10), III 690 D (82,34), IV 709 B (104,6), V 735 B (134,27), VI 778 B (182,30), VII 812 C, XII 957 B.

Genetivi intercalationem quindecim praebent loci: Euthyphr. 5 D (7,12) *ἱερῶν* — Lachet. 185 E (40,26) *ψυχῆς* — Euthydem. 279 E (12,21) *αὐλημάτων* [1]) — Cratyl. 408 A (39,17) *λόγου* — Sympos. 188 C (23,14) *Ἔρωτος* — Phaedr. 228 B (2,27) *λόγων*, 248 D (31,13) *σώματος* — Reipubl. IV 443 E *χρημάτων*, *σώματος*, V 455 A *πόλεως* — Phileb. 57 D *λόγων* — Politic. 289 B *ζώων* — Leg. VI 751 A (150,20) *πολιτείας*, 759 A (160,21) *ἀγορᾶς*, X 906 A *φυτῶν*.

Binae voces intercalatae sunt: Sympos. 188 B (23,10) *περὶ ἄστρων τε φορᾶς* — Phaedr. 238 A (15,13) *περὶ μὲν γὰρ ἐδωδήν*, 238 B (15,16) *περὶ δ' αὖ μέθας* — Reipubl. V 449 A *περί τε πόλεων διοικήσεις* — Tim. 66 D *περὶ δὲ δὴ τὴν τῶν μυκτήρων δύναμιν*.

Tria verba interiecta inter praepositionem et substantivum unus tantum offert locus: Reipubl. V 449 A *περὶ ἰδιωτῶν ψυχῆς τρόπου κατασκευήν*.

Nobis ex his tabulis summam facientibus se offert numerus 87. Quodsi omnium accusativorum, quos sibi vindicat *περί*, numerum, qui est 1317, cum interpositionum comparamus, e

1) cf. Schanz ad nostr. l. VII pag. 12.

quinis denis singulos locos hanc ponendi rationem habere sequitur. Denuo hic quoque maior numerus operibus posterioris aetatis assignari debet. Praeterea fortasse non nihil interest exquirere, quae intercedat ratio inter omnium interpositionum et omnium, quibus omnino περί occurrit, locorum numerum. περί invenitur, locis anastropha ornatis praetermissis, 2929, omnium interpositionum summa est 227, singulae igitur intercalationes ternis fere denis locis, quibus περί reperitur, respondent. In universum de hac praepositionis ponendae ratione statui potest Platonem, quod quidem e numeris antea allatis colligi liceat, priore vitae tempore non ita ei favere videri, postea demum saepius ea uti solere. Fortasse haec res ansam praebere potest, qua usus aliquis omnes Platonis praepositiones hunc in modum perlustrans quaestioni de dialogorum temporis ordine aliquid lucis afferat. Mihi quidem tempus ad hoc perficiendum defuit.

Iam antea dixi valde dolendum esse, quod nullam eius generis disputationem habemus, cuius comparatione, quo haec scribendi diversitas tendat, statui possit; at, quae praesto sunt, afferam. Polybius, quantum e Krebsii[1]) libello perspici licet, multo parcior quam Plato hac in re fuisse videtur. Intercalavit ut Plato voculas: μέν, δέ, γάρ, γὲ, οὖν et μὲν γάρ, μὲν οὖν. Eum tribus, quin etiam quinque vocibus praepositionem a substantivo divellere ausum esse Krebs non dicit. Plotinus[2]) ipse quoque non liberius se gessisse videtur quam Polybius. Sed quod hi auctores in adverbiis casualibus tractandis maiorem sibi vindicaverunt libertatem, nobis adverbialem eiusmodi particularum naturam respicientibus mirationi non esse debet.

Quomodo distributa per singulos dialogos sint hyperbata, ut clarius appareat, tabulam addam.

---

1) § 6 pag. 20 sqq. — 2) Seidel pag. 24.

Nomen dialogi.	Intermittunt voculas inter praepos. et substantiv. locis:			
	κατά c. acc.	*περί* c. gen.	*περί* c. acc.	*περί*
1. Apologia	—	1	—	1
2. Crito	—	1	—	1
3. Euthyphro	—	3	1	4
4. Protagoras	—	6	—	6
5. Charmides	2	4	—	4
6. Laches	—	2	1	3
7. Hippias minor	—	—	1	1
8. Euthydemus	—	3	1	4
9. Meno	2	—	—	—
10. Gorgias	4	4	5	9
11. Cratylus	6	4	2	6
12. Phaedo	1	5	1	6
13. Symposium	1	5	2	7
14. Lysis	—	1	—	1
15. Phaedrus	2	8	7	15
16. Respublica	12	14	11	25
17. Theaetetus	8	9	4	13
18. Parmenides	7	—	—	—
19. Philebus	9	7	6	13
20. Sophista	4	7	8	15
21. Politicus	9	9	10	19
22. Timaeus	12	10	6	16
23. Critias	4	3	2	5
24. Leges	22	33	19	52

Rationes sunt hae:

κατά c. gen. : interpositiones = 20 : 1
περί c. gen. : interpositiones = 12 : 1
περί c. acc. : interpositiones = 15 : 1
περί : interpositiones = 13 : 1

Caput III.

De hiatu.

Hoc in capite [1]) pauca de hiatu sive evitato sive admisso a Platone in praepositionibus *κατά*, *ἀμφί*, *περί* usurpandis disputabo.

1) Pauca de hiatu Platonico disput. Blass, Die attische Beredsamkeit II pag. 130 et 426 sqq.

Ac primum quidem terminantis praepositionis κατά vocalis α et vocis cum ea coniunctae a vocali incipientis hiatum Plato fugisse videtur. Nam e 562 locis, quibus vocales illae inter se colliduntur, 538 hiatum praepositionis vocali α elidenda tollunt, vicies autem quater textus, qui vocatur, memoria vocalium collisionem nihil curat. Quodsi magnum locorum numerum, quibus hiatus evitandi causa vocalis α praepositionis elisio facta est, consideramus neque omnes illas elisiones scribis, non scriptori deberi putamus, sine dubio audaciae crimen non assequimur, cum statuimus illos hiatus non genuinos esse, sed neglegentia inscitiaque scribarum in textum irrepsisse. Nam codices his in rebus nullius fere ponderis esse alii quoque scriptores testantur. Hultsch [1]), ubi de hiatu Polybiano agit, haec dicit »Allerdings muss es sehr bedenklich erscheinen so häufig und auch bei weniger gebräuchlichen Elisionen von der handschriftlichen Ueberlieferung abzuweichen. Allein wie wenig man sich hierbei auf die Handschriften verlassen kann, zeigt sich deutlich bei Isokrates. Denn während für diesen Redner die Vermeidung des Hiatus ausdrücklich von alten Schriftstellern bezeugt ist, so bieten auch hier die Handschriften eine Menge von Hiatus, die erst durch Elision beseitigt werden müssen« et paulo infra »Dazu kommt, dass im ganzen die Fälle, wo in den Handschriften (sc. des Polybius) bereits elidirt ist, bei weitem häufiger sind als diejenigen, wo sich noch Hiatus findet«.

Accedit, quod non semel hiatum, qui alio nos offendit loco, alio elisione evitatum videmus ita, ut duobus locis κατά cum uno eodemque verbo coniunctum sit. Inconstantiae sane nos aliquis summo iure incusaverit, si exempli causa scribimus κατὰ ἄστυ, paulo post κατ' ἄστυ, nullam aliam ob causam nisi quod codices nostri scribarum libidine et incuria talia nobis offerunt. Alia id genus exempla ad singula afferam.

Hiatus cum perpauci sint, afferre mihi liceat.

κατά c. gen. duos praebet: Menon. 77 A (124, 17) κατὰ ὅλου — Reipubl. III 391 A κατὰ Ἀχιλλέως.

---

1) Philologus, Jahrgang XIV pag. 288 sqq. — cf. pag. 301.

Ceteri omnes sunt praepositionis accusativum sibi vindicantis. In enumeratione alphabeticum vocalium ordinem sequar, praeterea vocales spiritu leni instructas seiungam ab iis, quae asperum habent spiritum.

Hiat cum praepositionis vocali *α*

vocalis *ἀ*: Leg. XII 954 C *κατὰ ἄστυ*. Sequitur *καὶ κατ' ἀγοράν* et eadem pagina sub lit. D *κατ' ἄστυ*.

vocalis *ἐ*: Menon. 76 C (123, 19) *κατὰ Ἐμπεδοκλέα* — Politic. 301 B *κατὰ ἔθη*, idem Leg. II 655 D (38, 12); sequitur *ἢ κατ' ἀμφότερα* — Criti. 119 C *κατὰ ἐπιστολάς* — Leg. VI 756 C (157, 15) *κατὰ ἐνενήκοντα*.

vocalis *ἑ*: Sympos. 208 A (46, 2) *κατὰ ἕν τι εἶδος ἰόντες*, persaepe autem invenimus *καθ' ἕν*, velut Phaedr. 273 E (66,14) — Phaedr. 247 A (28, 16) *κατὰ ἕνδεκα μέρη* — Reipubl. VIII 556 A *κατὰ ἕτερον*, X 615 A *κατὰ ἑκατονταετηρίδα*.

vocalis *ἡ*: Gorg. 474 D (40,6) *κατὰ ἡδονήν* — Phaedr. 227 D (2, 10) *κατὰ Ἡρόδικον* [cf. Protag. 340 D (87,20) *καθ' Ἡσίοδον* — Cratyl. 401 D (30, 13) *καθ' Ἡράκλειτον*].

vocalis *ὀ*: Leg. VII 798 E *κατὰ ὀρχήσεις*, idem 816 D.

vocalis *ὁ*: Reipubl. III 392 E *κατὰ ὅλον*, idem Parmen. 131 E, 138 E, 159 D; aliis locis invenimus *καθ' ὅλον*, velut Tim. 40 A, 55 E — Reipubl. IV 443 A *κατὰ ὅρκους*.

Sequuntur diphthongi:

αἰ: Reipubl. IV 436 A *κατὰ Αἴγυπτον*, sed Tim. 21 E, Leg. II 656 D (39, 17), 660 C (44, 13) scriptum videmus *κατ' Αἴγυπτον*.

εἰ: Cratyl. 424 C (64, 24) *κατὰ εἴδη*, idem Leg. III 700 A (94, 19); aliis autem locis elisio facta est, velut *κατ' εἶδος* Phaedr. 249 B (32, 4), *κατ' εἴδη* 273 D (66, 13).

Alia autem est ratio praepositionis *ἀμφί*. Nam Platonem huius particulae hiatum non curasse ex eo efficitur, quod e novem locis, quibus illa reperitur, quattuor hiatum praebent.

Neque aliter se gessit in *περί* praepositione utenda communem scriptorum secutus usum; quarta enim fere pars omnium *περί* praepositionum hiatum efficit (724). Ac maior numerus praepositionis cum gen. est[1]) (541), ut terni loci singulos

---

1) Hic quoque locos, quibus anastropha usurpatur, omitto cf. pag. 15.

habeant hiatus, cum accusativi ratio haec sit 1 : 7 (summa hiatuum 182) et dativus unum exhibeat.

Quodsi voce interposita hiatus tollitur, velut Politic. 268 A *περὶ τούτων οὐδενός*, vocalium collisionem evitatam huius ponendi rationis causam non esse iure statuere possumus. Nam recte nos iudicasse praeter magnam hiatuum multitudinem alia interpositionis genera affirmant. Quamquam ad nostram defendendam sententiam omnino necesse non est illos locos afferre, tamen non sine omni fructu erit exemplis, qualia haec sint genera, ostendere.

Ac primum quidem vocularum *γὲ*, *δέ*, *τὲ* interpositione hiatus *περί* praepositionis ita tollitur, ut novus inter illas et substantivum a praepositione pendens oriatur, velut Criton. 48 C (74,15) *περί τε ἀναλώσεως*.

Alterum interpositionis genus novum efficit hiatum inter *περί* praepositionem et voculam intercalatam. Affero exempli causa Euthydem. 279 E (12, 21) *περὶ αὐλημάτων εὐπραγίαν*.

Aliis autem locis idem hiatus interpositione et evitatur et oritur. Laudo Cratyl. 384 B (2, 16) *περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος*.

Denique afferendi sunt loci, quibus voce interiecta novus oritur hiatus, cum nullus omnino evitetur. Tale exemplum praebet Leg. VI 759 A (160, 21) *περὶ ἀγορᾶς κόσμον*.

Attamen *περί* praepositionis cum verbo ab iota vocali incipienti collisionem, molestissimum sane hiatum, Plato posteriore quidem tempore fugere videtur. Etiam eos huc spectantes locos, quibus anastropha usurpatur, cum quattuor modo sint, addere mihi liceat. Decem huius generis hiatus occurrunt, e quibus octo prioribus dialogis inserti sunt, singulus in Republica et Theaeteto invenitur. Duobus locis Phaedri et Theaeteti hiatus anastropha oritur.

Apolog. 25 A (38,14) *περὶ ἵππους*, 25 B (38,19) *περὶ ἵππων* — Euthyphr. 5 D (7, 12) *περὶ ἱερῶν κλοπάς* — Charmid. 171 A (23, 7) *περὶ ἰατρικῆς* — Menon. 72 D (118, 9) *περὶ ἰσχύος* — Gorg. 453 B (13, 6) *περὶ ἰατρῶν αἱρέσεως* — Sympos. 176 D (7, 18) *περὶ ἰατρικῆς* — Phaedr. 274 B (67, 1) *λόγων πέρι ἱκανῶς* — Reipubl. V 449 A *περὶ ἰδιωτῶν ψυχῆς τρόπου κατασκευήν* — Theaetet. 208 D (97, 8) *ἡλίου πέρι ἱκανόν*.

Ter autem talis hiatus interpositione sublatus est. Charmid. 170 E (23, 2) περὶ μὲν ἰατρικῆς — Phaedr. 248 D (31, 13) περὶ σώματος ἴασιν — Leg. VI 778 B (182,30) περί τε ἱερά.

Bis idem anastropha factum est. Lachet. 191 B (47, 34) ἱππέων πέρι λέγεις — Leg. IX 865 B ἰατρῶν δὲ πέρι πάντων.

Atque haec non casu facta videri, quae nunc allaturus sum, testantur. Leg. VI 777 C (181, 26) invenimus τῶν περὶ τὴν Ἰταλίαν, cum ceteris omnibus locis, quibus Italiae nomen occurrit, praeter unum articulus desit. Quare summo iure contendere posse videmur nostro loco articulum nihil aliud spectare nisi hiatus evitationem. Expedit locos illos afferre. Reipubl. X 559 E Χαρώνδαν μὲν γὰρ Ἰταλία καὶ Σικελία καὶ ἡμεῖς Σόλωνα – Tim. 20 A πόλεως τῆς ἐν Ἰταλίᾳ Λοκρίδος.

Etiam quattuor laudabo locos, qui in epistulis Platonicis, quae dicuntur, insunt. Nam quamquam hae epistulae non a Platone confectae videntur, tamen nobis usui esse possunt, cum id ipsum, quod olim Platonis esse putabantur, non sine omni cum illo scribendi generis similitudine eas esse probet. Accedit, quod tres in epistula septima, quae maxime operis Platonici speciem prae se fert, locum habent. Epistul. III 317 B ἐξ Ἰταλίας καὶ Σικελίας — VII 326 B εἰς Ἰταλίαν τε καὶ Σικελίαν, 327 E ἀρχὴν τῆς Ἰταλίας καὶ Σικελίας, 339 D ἐκ Σικελίας τε καὶ Ἰταλίας. Quod Epistul. VII 327 E articulus nomini additus est, ideo ceterorum testimonio obsistere non potest, quod ibi casum obliquum nulla cum praepositione coniunctum habemus.

Prorsus eandem nobis offert rationem nomen Ἴλιον. Satis fuerit locos enumerare. Phaedr. 261 B (48, 25) ἐν Ἰλίῳ, idem Reipubl. III 393 B, VII 522 D — Leg. III 682 B (71,9) κατῳκίσθη Ἴλιον, III 682 D (71, 33) ὃν (sc. χρόνον) τὸ Ἴλιον ἐπολιορκεῖτο.

Eiusdem autem libri pag. 685 C (75, 22) articulo addito scriptum est οἱ περὶ τὸ Ἴλιον οἰκοῦντες.

Caput IV.

De praepositionis περί anastropha.

Priusquam de hac re disserere incipiam, non possum silentio praeterire magno mihi esse dolori, quod de hac quoque materia pauca tantum adsunt disputata. Nam libri grammatici, velut Kuehneri et Kruegeri [1]) rem modo breviter attingunt et praeter Debberti [2]) de Thucydide observationes de nullo alio pedestris orationis scriptore [3]) Platoni aequali tale aliquid praesto est.

Ac Plato hac ponendi libertate, si cum Thucydide eum comparamus, persaepe usus esse videtur. Nam sexta pars (5,7) omnium locorum, qui περί praepositionem cum genetivo copulatam praebent (1943), anastropham habent (338), cum Thucydides undetricies modo eam usurpet. Post Platonem autem anastropham magis magisque exolevisse haec Aristotelis [4]) testantur verba: *ἔτι δὲ Ἀριφράδης τοὺς τραγῳδοὺς ἐκωμῴδει, ὅτι ἃ οὐδεὶς ἂν εἴποι ἐν τῇ διαλέκτῳ τούτοις χρῶνται, οἷον τὸ δωμάτων ἄπο, ἀλλὰ μὴ ἀπὸ δωμάτων .... καὶ τὸ Ἀχιλλέως πέρι, ἀλλὰ μὴ περὶ Ἀχιλλέως, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα,* quamquam ipse ter verba hunc in modum collocat et totidem exempla in Theophrasti, discipuli eius, libris insunt. Polybius [5]) autem historicus nullo iam loco admisit hanc ponendi libertatem, cum apud Plotinum [6]), tertii post Christum natum saeculi philosophum, quinquies περί genetivum sequatur.

Non minus libere Platonem in voculis inter substantivum et praepositionem ei postpositam intermittendis se gessisse loci, quos nunc afferam, nos docebunt. Eundem, quo in capite tertio usus sum, sequar ordinem. Exordium a voculis monosyllabis capimus.

γὲ bis intermissum est: Gorg. 502 A (80,4) — Phileb. 22 B.

---

1) Kühner § 626 C pag. 322, Krüger II § 452, 2 pag. 481. — 2) Debbert pag. 17 sqq. — 3) de poetarum anastrophis accuratissime disputavit Mommsen Progr. 1876 pag. 17,4, pag. 25. — 4) Poet. 1468b, 31, Eucken pag. 62. — 5) Krebs pag. 99. — 6) Seidel pag. 23.

δέ undecies: Gorg. 465 A (25,24) — Reipubl. VI 502 A — Leg. II 664 A (49,2), V 743 E (145,13), VII 823 C, VIII 845 B, IX 865 B, 867 D, XI 915 E, 918 A, XII 943 C.

δεῖ semel: Leg. XII 952 D *ὧν δεῖ πέρι.*

δή quater decies: Protag. 324 D (68,29) — Phaedr. 270 A (61,8), 277 A (71,9) — Phileb. 22 D — Sophist. 233 A (26,23) — Politic. 306 B — Leg. III 676 C (63,30), IV 708 E (103,26), VII 809 D, 811 C, 812 B, XII 945 B, 961 C, 964 B.

καί bis: Lachet. 192 A (48,34) — Reipubl. VIII 544 A.

μέν semel: Sympos. 177 C (8,14).

οὖν semel: Euthyphr. 3 D (3,14).

τὲ quadragies bis: Euthyphr. 4 E (5,22) — Gorg. 455 A (12,32) — Phaedon. 98 A (154,15) — Sympos. 181 E (14,14) — Reipubl. III 417 B, IV 425 C, 443 B, V 449 D, 450 C, 463 D, 464 B, 466 C, 472 C, 479 D, VI 484 D, 504 A, VII 514 A, 538 E, VIII 545 B, X 599 C, 600 A — Theaetet. 157 E (23,19) — Phileb. 17 C, 37 A, 65 A — Sophist. 245 E (47,11) — Politic. 283 C, 305 D — Tim. 57 D — Criti. 107 C — Leg. I 648 B (31,19), V 735 C (135,3), 738 A (138,8), VI 753 E (154,5), 764 D (167,2), 771 D (175,4), VII 804 B, 809 C, VIII 829 E, 846 B, IX 867 E, X 889 B.

τὶς semel: Cratyl. 426 A (67,6) *ὧν τις πέρι.*

Genetivi interpositionem praebent loci hi: Phileb. 31 B *αὐτῶν* — Leg. VI 763 C (165,25) *ἀγορανόμων*, X 892 A *αὐτῆς*.

Iam ad eos laudandos venimus locos, quibus verba, quae plus unam syllabam habent, genetivum et praepositionem seiungunt. Genetivos interpositos ideo huic non inserui ordini, quod eorum interpositio minoris est libertatis quam quae nunc afferentur verborum. Sexies hoc factum est: Lachet. 199 B (58,30) *μελλόντων μόνον πέρι* — Phileb. 32 E *τῶν μήτε ἀνασῳζομένων ἐννοήσωμεν πέρι* — Sophist. 230 A (22,14) *ὧν οἴοιτο πέρι*, 249 E (53,15) *αὐτοῦ γνώσεσθαι πέρι* — Leg. VII 814 D *ὧν εἴρηκε πέρι*, 822 B *ἀνδρῶν διενοούμεθα πέρι.*

Ut *περί* genetivo antecedens, ita eum subsequens duabus ab eo voculis seiungi potest: Phaedr. 259 E (46,15) *ὧν ἂν ἐρεῖν πέρι*, 274 B (67,4) *εὐπρεπείας δὴ γραφῆς πέρι*, 276 E (70,21) *καὶ ἄλλων ὧν λέγεις πέρι* — Theaetet. 169 A (39,12) *ὧν δὴ*

σὺ πέρι — Politic. 286 C *ὧν ἂν ἀεὶ πέρι* — Leg. IV 712 A (108,5) *δυνάμεως ὁ αὐτὸς πέρι λόγος*, VI 777 B (181,15) *καὶ κολάσεως τῶν δούλων πέρι*, VII 824 A *πάντων ἔπαινος μὲν πέρι*, VIII 847 B *μισθῶν δὲ αὐτοῖς πέρι*, IX 853 A *ὡντινῶν οὖν δὴ πέρι*, X 887 A *ὧν ἔφραζον δεῖν πέρι*, 899 B *ἄστρων δὲ δὴ πέρι*, 907 D *ἀσεβείας ὅδε ἔστω πέρι*, XII 943 E *ἄλλων εὐλαβεῖσθαι δεῖ πέρι.*

Uno loco tria intermisit Plato verba: Leg. IX 859 C *τῶν δ' ἔτι διασκοποῦμεν πέρι.*

Iam quattuor voculas, quo numero semel genetivum a praepositione antecedenti segregare non dubitavit, in hac particulae collocatione quinquies intercalavit: Reipubl. III 410 D *Τίνος δὲ ἦ δ' ὅς πέρι* — Phileb. 22 D *τῶν δὲ δὴ δευτερείων ὁρᾶν καὶ σκοπεῖν χρὴ πέρι* — Sophist. 230 B (22,20) *ὧν ἂν οἴηταί τις τὶ πέρι* — Leg. VI 760 A (161,26) *πόλεως μὲν οὖν αἱ φρουραὶ πέρι*, 780 D (185,31) *οὗ δὴ καὶ νῦν ἐφέστηκεν πέρι.*

Etiam quinque vocum hyperbatum unus habet locus: Leg. VII 809 E *γραμμάτων εἴπομεν ὡς οὐχ ἱκανῶς ἔχεις πέρι.*

Summum autem vocularum interpositarum numerum: sex: assecutus est Apolog. 19 C (29,15) *ὧν ἐγὼ οὐδὲν οὔτε μέγα οὔτε μικρὸν πέρι ἐπαΐω.*

Aeque ac libertas verborum collocandorum mirationi nobis erit ratio, qua summa interpositionum (106) cum anastropharum (338) comparata ternorum anastropham praebentium locorum singuli interpositionem patiuntur. Comparandi causa, quas *περί* praepositione casum antecedente invenimus rationes, denuo afferre mihi liceat:

interpositiones: *περί* c. gen.	= 1 : 12
interpositiones: *περί* c. acc.	= 1 : 15
interpositiones: *περί* (omnes loci)	= 1 : 13
interpositiones: *πέρι*	= 1 : 3

Quam nunc addam tabula non solum anastrophicam praepositionis collocationem, sed etiam praepositionis ita positae et genetivi vocibus interiectis divisionem imprimis posteriore nostri auctoris aetate in honore fuisse docebit.

Nomen dialogi.	Summa περί praep. c. gen.	anastropharum.	interpositionum.
1. Apologia	24	2	1
2. Crito	13	—	—
3. Euthyphro	37	3	2
4. Protagoras	84	2	1
5. Charmides	28	—	—
6. Laches	78	10	2
7. Hippias minor	26	1	—
8. Euthydemus	22	1	—
9. Meno	50	5	—
10. Gorgias	92	9	3
11. Cratylus	63	2	1
12. Phaedo	77	3	1
13. Symposium	39	3	2
14. Lysis	26	1	—
15. Phaedrus	86	18	5
16. Respublica	274	60	20
17. Theaetetus	123	14	2
18. Parmenides	30	2	—
19. Philebus	66	21	8
20. Sophista	71	16	5
21. Politicus	53	11	4
22. Timaeus	88	13	1
23. Critias	21	2	1
24. Leges	472	139	47

Quodsi quaerimus, quibus notionibus praeditam *περί* praepositionem, cum genetivum sequitur, usurpaverit Plato, omnia eam usus genera praeter unum, quod preti significationem continet, amplecti invenimus. Ab initio *περί* huius significationis ab anastropha abhorruisse videtur. Nam iam Homerum hoc evitasse ostendunt haec Mommseni [1]) verba »Zum Schluss noch die Notiz, dass die später so gewöhnliche Anastropha pura bei *περί* c. Gen. sich nicht in der Iliade, sondern zuerst in der Odyssee findet, und zwar nicht bei dem alten *περί* des Vorzugs sondern dem modernen = de«; Thucydides [2]) ipse quoque nullo loco *πέρι* hac notione instructum praebet.

Atque ut ad singula accedamus, invenitur *πέρι*:

1) Idem valens atque Latinum ‚de',

I. a) a verbo pendens, velut Hipp. min. 374 C (49, 15) *Τί δὲ φωνῆς πέρι λέγεις.*

1) Progr. 1876 Anm. 9, pag. 19. — 2) Debbert pag. 19.

b) sive a substantivo, velut Reipubl. IV 430 B *τὴν δὴ τοιαύτην δύναμιν καὶ σωτηρίαν διὰ παντὸς δόξης ὀρθῆς τε καὶ νομίμου δεινῶν πέρι καὶ μὴ ἀνδρείαν ἔγωγε καλῶ καὶ τίθεμαι.*

c) sive ab adiectivo, velut Reipubl. X 599 B *εἴπερ γε .. ἐπιστήμων εἴη τῇ ἀληθείᾳ τούτων πέρι, ἅπερ καὶ μιμεῖται.*

II. Minus arte alicui enuntiati parti se adiungens, velut Sophist. 218 C (4, 11) *δεῖ δὲ ἀεὶ παντὸς πέρι τὸ πρᾶγμα αὐτὸ μᾶλλον διὰ λόγων ἢ τοὔνομα μόνον συνωμολογῆσθαι χωρὶς λόγου.*

2) *πέρι* eiusque genetivus nullo coniuncta sunt vinculo cum enuntiato, quod anteire solent; optime respondet Latinum ‚quod attinet ad' sive ‚ratione habita'. Exempli causa laudo Leg. IX 915 E *ἐράνων δὲ πέρι τὸν βουλόμενον ἐρανίζειν φίλον παρὰ φίλοις.*

3) Genetivus cum insequenti *πέρι* articulo generis neutri sive singulari sive plurali apposito prorsus in substantivi locum abiit; cui formulae praesertim notiones generales insunt. Affero Reipubl. III 392 C *Τὰ μὲν δὴ λόγων πέρι ἐχέτω τέλος, τὸ δὲ λέξεως .. μετὰ τοῦτο σκεπτέον.*

4) Denique neque desunt loci, quibus *πέρι* finem consiliumque indicat. Exemplo sit Leg. VI 771 D (175,4) *θεῶν μὲν δὴ πρῶτον χάριτος ἕνεκα καὶ τῶν περὶ θεούς, δεύτερον δὲ ἡμῶν αὐτῶν οἰκειότητός τε πέρι καὶ γνωρίσεως ἀλλήλων .... καὶ ὁμιλίας ἕνεκα πάσης.* Quid hoc sibi velit loco *πέρι*, ob duas *ἕνεκα* particulas omni caret dubitatione.

Ex his igitur Platonem in anastropha utenda certam esse secutum rationem colligi non licet.

Neque maiorem veri speciem assequimur, si Platonem aliis obstringere legibus conamur, et quae Debbert[1]) Herbstium[2]) anastrophicum Thucydidis usum certis circumscribere regulis conantem refutans protulit, in nostrum quoque auctorem cadunt.

Neque enim *περί* praepositio cum pronomine relativo coniuncta semper anastropham habet, sed e 338 *πέρι* 22 (7 singulares, 15 plurales formae) relativum sequuntur, cum, ut exemplum afferam, Phaedrus dialogus sex contineat *περὶ οὗ*, velut 235 E (12, 11) et quattuor *περὶ ὧν*, velut 231 D (6, 32);

1) Debbert pag. 17 sqq. — 2) Philolog 16,277.

neque semper *πέρι* nomini, quod alteri est oppositum, adiectum est. Nam non tam locis invenitur, quibus re vera adest oppositio, ut Sympos. 177 C (8,13) *τὸ οὖν τοιούτων μὲν πέρι πολλὴν σπουδὴν ποιήσασθαι, Ἔρωτα δὲ μηδένα πω ἀνθρώπων τετολμηκέναι .... ἀξίως ὑμνῆσαι*, sed etiam iis, quibus omnino nihil inest oppositionis. ut *τοῦ πέρι;* sive *τοῦ πέρι λέγεις;*, quod haud raro occurrit [Phaedr. 257 A (13,28) aliisque locis], cum aliis, ubi verborum oppositionem habemus, *περί* casui antecedat, velut Euthyphr. 5 C (6, 20) *καὶ πολὺ ἂν ἡμῖν πρότερον περὶ ἐκείνου λόγος ἐγένετο ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἢ περὶ ἐμοῦ.*

Neque aliter res se habet, si significationem quod attinet ad respicimus. E duodequadraginta locis, qui fere hanc notionem praebent, octo tantum *περί* non antecedit casui. Profero Leg. VI 775 A (18,27 sqq.) *περὶ δὲ τῶν ἑστιάσεων φίλους μὲν χρὴ καὶ φίλας μὴ πλείους πέντε ἑκατέρων συγκαλεῖν.*

Ut Thucydidem ita Platonem quoque in usurpanda anastropha nulla se lege astrinxisse quae modo exposui docent.

Addi potest hanc ponendi rationem non semel a Platone ad nominis vim augendam usurpatam videri, velut Euthyphr. 3 D (3, 14) *τούτου οὖν πέρι ὅπως ποτὲ πρὸς ἐμὲ ἔχουσιν, οὐ πάνυ ἐπιθυμῶ πειραθῆναι*, aliis autem locis, quibus eadem est ratio, desiderari anastropham, cum alii nulla eius generis causa eam habeant. Tales sunt loci: Phaedon. 60 C (91, 14) *περὶ γάρ τοι τῶν ποιημάτων ὧν πεποίηκας .. καὶ ἄλλοι τινές με ἤδη ἤροντο, ἀτὰρ καὶ Εὔηνος πρῴην*, 65 D (100, 9) *λέγω δὲ περὶ πάντων, οἷον μεγέθους πέρι, ὑγιείας, ἰσχύος καὶ τῶν ἄλλων ἑνὶ λόγῳ ἁπάντων τῆς οὐσίας.*

Denique anastropham non hiatui evitando inservire ea, quae antea de hiatu (pag. 23 et 24) *περί* praepositionis dixi, satis evincunt. Nam etsi, ut exemplum afferam, e quadraginta quattuor locis Legum, quibus *πέρι* cum voce a vocali incipienti copulatum est, quadraginta hiatum ita declinant, ut novus non oriatur, hoc non consilio scriptoris propositum fuisse id docet, quod in eodem opere centum et duodetriginta fere *περί* casui antecedentia cum substantivo suo hiant[1]).

1) De *περί* praepositionis cum iota vocali collisione cf. pag. 24 et 25.

Caput V.

I. De σύν praepositionis usu Platonico.

Haec praepositio [1]) convenienter iis, quae Mommsen de ea disseruit, etiam a Platone ut pedestris orationis scriptore bono paene abhorret; nam tricies modo occurrit, in locum autem eius successit μετά c. gen., quod 510 locis se offert.

Ac priusquam usus genera exponamus, pauca de forma dicenda sunt. Tertia fere omnium locorum pars: novem: antiquioris Attici [2]) sermonis formam ξύν, ceteri omnes σύν praebent. Fortasse commemorari licet in Republica, quae sex locis hanc particulam exhibet, quinquies formam ξύν inveniri [3]). At Thucydides [4]) praeter unum locum, qui σύν habet (III 104, 3), forma ξύν tricies et quinquies fere usus est, Aristoteles autem, quod quidem e libro R. Euckeni [5]) colligi liceat, ξύν formam iam non novit et Polybius [6]) item nullum huius formae exemplum praebet.

Iam ad singula accedamus. In diversis utendi generibus enumerandis Mommsenum [7]) sequemur.

Notio primaria fuisse videtur ‚mitsammt'.

1) Quae notio in comitatus et societatis significationem transcendit locis his: Phaedr. 229 C (4,8) αὐτὴν (= Ὠρείθυιαν) σὺν Φαρμακείᾳ παίζουσαν, 250 B (33, 11) ὅτε σὺν εὐδαίμονι χορῷ μακαρίαν ὄψιν ... εἶδον — Theaetet. 173 D (46, 3) καὶ σὺν αὐλητρίσι κῶμοι, Germanice ‚in Gesellschaft von'.

2) Cum societatis significatione coaluit auxilium. Imprimis de deorum auxilio ita dicere solebant et formula σὺν θεῷ per omnia linguae Graecae tempora in usu erat. Plato quoque ea

---

1) de vi et etymologia cf. Mommsen Progr. 1874 pag. 40 sqq. — 2) R. Kühner Gramm. § 601 p. 275. — 3) Theaetet. 151 B (13, 17) non Hermannum sequor, qui scribit ξύν, sed cum Schanzio σύν in textum recipio, cum meliore textus memoria tradatur. Nam codex Venetus (Schanzii T, Bekkeri t) praebet σύν, omisit codex Bodleianus (Schanzii B, Bekkeri 𝔅), ξύν addidit vetus libri B manus altera (Schanzii b). — 4) Index Thucydideus conf. a M. H. N. von Essen. Berolin. 1887 pag. 406 et 274; Mommsen Progr. 1874 pag. 4. — 5) pag. 29. — 6) Krebs pag. 34. — 7) Mommsen Progr. 1874 pag. 38 sqq.

cum verbo εἰπεῖν coniuncta ter usus est. σὺν θεῷ εἰπεῖν: Protag. 317 B (60, 18), Theaetet. 151 B (13,17); mutata collocatione verborum εἰπεῖν σὺν θεῷ Leg. IX 858 B. Henric. Stephanus [1]) ad Theaetet. 151 B hanc formulam bene interpretatus est »Quod ita dico, ut in eo opem divinam agnoscam«. Porro hanc notionem invenimus: Leg. III 682 A (71, 2) θεῖον γὰρ .. καὶ τὸ ποιητικὸν ὂν γένος ὑμνῳδοῦν πολλῶν τῶν κατ' ἀλήθειαν γιγνομένων ξύν τισιν Χάρισιν καὶ Μούσαις ἐφάπτεται ἑκαστότε.

3) Iam praepositionis vis amplificabatur, ut eam quoque rem significare posset, quae ad aliquid pertinet, ita quidem, ut interdum illa res minoris sit momenti. In hoc praesertim utendi genus quadrant, quae Mommsen [2]) in universum de praepositionis σύν significatione dixit »Die durch σύν angeknüpfte Sache oder Person erscheint im Ganzen weniger als gleichberechtigt oder an Umfang oder Zahl überwiegend (wie bei μετά), sondern als das Sekundäre, oft geradezu als Anhängsel«. Cum Krebsio [3]) seiungo locos, quibus substantivum cum σύν praepositione coniunctum personam significat, ab iis, quibus rem. Prioris generis unus est locus: Leg. XI 930 E τὸ μὲν τῆς γυναικὸς αἱ γυναῖκες εἰς ἄλλην χώραν ἐκπεμπόντων σὺν τῷ πατρί, τὸ δὲ τοῦ ἀνδρὸς οἱ νομοφύλακες σὺν τῇ γεννησάσῃ, alterius hi loci: Reipubl. VII 518 C οἷον εἰ ὄμμα μὴ δυνατὸν ἦν ἄλλως ἢ ξὺν ὅλῳ τῷ σώματι στρέφειν ...., οὕτω ξὺν ὅλῃ τῇ ψυχῇ .... περιακτέον εἶναι, VIII 564 C ξὺν αὐτοῖσι τοῖς κηρίοις ἐκτετμήσεσθον. ξύν hoc loco redundat [4]), nam alias eius generis dativus cum pronomine αὐτός coniunctus solus usurpatur. At Polybio quoque haec dicendi ratio non ignota fuisse videtur, nam tria exempla in Krebsii [5]) libello inveni, nec minus Diodorum ea uti idem vir ille doctus adnotat [6]). Plura de hac re non inveni. Protag. 321 D (65, 16) ὁ Προμηθεὺς ... κλέπτει Ἡφαίστου καὶ Ἀθηνᾶς τὴν ἔντεχνον σοφίαν σὺν πυρί — Leg. III 678 C (66, 20) τὰ πορεῖα δέ .... σὺν ταῖς τέχναις .. πάντα σχεδὸν ἀπωλώλει, VI 763 B (165,13) πᾶσαν τὴν

---

1) cf. Stallbaum ad Protag. 317 B. — 2) Progr. 1874 p. 38. — 3) pag. 35. — 4) de Homero cf. Mommsen Progr. 1874 pag. 41, 42; in universum de hac re agit G. Bernhardy Syntax pag. 101. — 5) pag. 35 et 36. — 6) pag. 35 adnot. 5.

χώραν διεξερευνώμενοι.. σὺν τοῖς ὅπλοις, VIII 833 A *ὁ τὸ στάδιον ἁμιλλησόμενος σὺν τοῖς ὅπλοις*, XII 947 C *σὺν τοῖς ἵπποισι μὲν ἱππέας, σὺν δὲ ὅπλοις ὁπλίτας.*

4) Iam vero notio principalis ita attenuatur, ut particula iam nihil nisi instrumentum significet. Gorg. 513 A (95, 10) *σὺν τοῖς φιλτάτοις ἡ αἵρεσις ἡμῖν ἔσται ταύτης τῆς δυνάμεως τῆς ἐν τῇ πόλει* — Phileb. 65 A *Οὐκοῦν εἰ μὴ μιᾷ δυνάμεθα ἰδέᾳ τὸ ἀγαθὸν θηρεῦσαι, σὺν τρισὶ λαβόντες, κάλλει καὶ ξυμμετρίᾳ καὶ ἀληθείᾳ, λέγωμεν ὡς.* Dativi, qui antecedunt et insequuntur particulam, instrumenti eius significationem satis indicare videntur. Leg. VIII 832 C *ἑκόντων γὰρ ἑκοῦσα οὐδεμία* (sc. *τούτων πολιτεία*), *ἀλλ' ἀκόντων ἑκοῦσα ἄρχει σὺν ἀεί τινι βίᾳ.*

5) Haud procul ab hac instrumenti significatione absunt loci, quibus indicatur modus. Criton. 48 C (74.21) *οὐδενὶ ξὺν νῷ*, Menon. 88 B (141, 25) *σὺν νῷ*, idem Reipubl. X 619 B (*ξὺν*) — Reipubl. IV 424 E *ἔρχεται ἐπὶ τοὺς νόμους ... σὺν πολλῇ ἀσελγείᾳ*, VI 492 B *ξὺν πολλῷ θορύβῳ τὰ μὲν ψέγωσιν* — Leg. VII 815 A *πυρρίχην ... τάς τε εὐλαβείας πασῶν πληγῶν .. καὶ ἐκπηδήσεσιν ἐν ὕψει καὶ ξὺν ταπεινώσει μιμουμένην* .... Stallbaum nostrum locum in editione sua ita interpretatur »Quod quidem (Das Springen) dupliciter fieri posse significatur aut *ἐν ὕψει*, ita ut quis in sublime exsiliat (Das Aufspringen), aut *ξὺν ταπεινώσει*, hoc est sic ut quis saltum faciat demissus (Sprung mit Bücken oder Zusammenkrümmung)«.

6) Denique nec desunt loci, quibus in *σύν* praepositione consensus notionem inesse invenimus. Leg. XI 924 A *υἱὸν αὐτὸν ποιείσθω ξὺν νόμῳ.* Praeterea huc refero XII 958 D *ἀνδρὶ .... σὺν τοῖς νόμοις ἐν μοίρᾳ γηράσαντι*, ego verto: homini, qui legibus oboediens (i. e. cum legibus consentiens), uti decet, consenuit.

II. De *ἀνά* praepositionis usu Platonico[1]).

Quae Mommsen[2]) de huius praepositionis usu dixit »Für *ἅμα* und für die Akkusativverbindungen von *ἀμφί* und *ἀνά*

1) De *ἀνά* praeposition. usu cf. Kühner Gramm. § 602 pag. 276. — 2) Progr. 1874 pag 10.

ergab sich eine ähnliche Beschränkung auf wenige Gebrauchsweisen in der Attischen Prosa wie für σύν«, Platonica utendi ratione valde comprobantur. Nam undecim locis, quibus accusativum sibi vindicat, non modo una instructa est notione, quae respondet Latino ‚secundum', sed etiam semper unum idemque verbum sibi adiungit: ἀνὰ λόγον sive ἀνὰ τὸν αὐτὸν λόγον. Quare primo obtutu nulli alii rei nisi formulae hanc praepositionem debere salutem patet.

Dativum autem apud nostrum auctorem a praepositione sperni vix commemorari opus est, cum hic casus poetarum sermonis sit [1]).

Verba ἀνὰ λόγον, quae idem valent atque κατὰ λόγον, Germanice reddenda ‚nach Verhältnis', ‚nach einem rechten, bestimmten Verhältnis' (conferri potest κατὰ τρόπον) inveniuntur: Phaedon. 110D (174,2) — Reipubl. VI 511E — Tim. 29C, 37A, 53E, 56C, 82B — Leg. X 893D.

ἀνὰ τὸν αὐτὸν λόγον invenitur: Phaedon. 110D (174,4) — Reipubl. VI 509D - Tim. 32B. Timaeus igitur plus dimidium omnium locorum continet (6).

III. De praepositionis κατά usu Platonico [2]).

Principalis huius praepositionis notio respondet, ut Kuehneri [3]) verbis utar, Germanico ‚von Oben nach Unten herab', Latino ‚desuper'. E duobus quos sibi vindicat casibus haec particula genetivum apud Platonem paene deposuit, accusativorum autem multitudo permagna est (gen. 48, acc. 2017). Similis in Polybii [3]) libris nobis occurrit ratio; genetivus ibi habet locos 216, accusativus 4081.

1. Cum genetivo.

I. Notio localis.

a) Indicatur, unde aliquid deorsum discedat, ‚Von — herab'. Phaedr. 229C (4,8) αὐτὴν .. κατὰ τῶν πλησίον πετρῶν ..

---

1) Kühner Gramm. § 602 pag. 277, Bernhardy Syntax pag. 233. — 2) De praeposition. κατά usu cf. Kühner Gramm. § 606 pag. 283, Bernhardy Syntax pag. 237,19. — 3) Krebs pag. 6.

ὦσαι — Leg. XII 944 A *κατὰ κρημνῶν ῥιφέντες*. Iam huc referri debet *κατ' ἄκρας* i. e. a vertice, a culmine. Adverbii loco verbi, cui appositum est, vim adauget; respondet Latinum 'funditus' mutata directione, Germanicum 'gänzlich'. Sémel occurrit: Leg. X 909 B.

b) Prior illa notio ita mutatur, ut non ille, unde incipit motus, sed ubi finitur, quo tendit, locus significetur. Duo illius motus discernenda sunt genera.

1) Alterum tale est, ut ea res, quo tenditur, supra tangatur, auf — herab, über — herab; etiam motus significatione sublata solam quietem nostra lingua exprimere possumus, cum vertimus 'über' (wo?). Reipubl. I 344 D *ὥσπερ βαλανεὺς ἡμῶν καταντλήσας κατὰ τῶν ὤτων ἀθρόον καὶ πολὺν τὸν λόγον*, III 398 A *μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέαντες* — Criti. 119 E *πρὸς τὴν στήλην προςαγαγόντες κατὰ κορυφὴν αὐτῆς ἔσφαττον* (sc. *τὸν ταῦρον*) *κατὰ τῶν γραμμάτων*. Haec verba sic accipienda sunt: trucidaverunt taurum supra litteras ita, ut sanguis eius desuper in illas roraret; verba 120 A *περικαθήραντες τὴν στήλην* nobis explicantibus subveniunt. Eadem est ratio 120 A *κατὰ τοῦ πυρὸς σπένδοντες*. Denique huc spectat Leg. I 673 E (17,30) *κατὰ τῶν ἱματίων καταχεόμενοι* (sc. *τὸν οἶνον*).

2) Alterum movendi genus id agit, ut subter aliquam rem veniat, unter (wohin?). At auctor noster meliorum pedestris orationis scriptorum [1]) exempla secutus nunquam poetarum more, velut Sophoclis (O. C. 1701) principalem notionem deposuit et quietis potestatem induxit, sed semper motum spectat. Neque enim Thucydides [2]) neque oratores Attici eiusmodi exemplum praebent, cum Xenophonti nimirum non desit (Cyr. 4, 6, 5). Post Platonem autem hic usus magis in prosam orationem irrepsisse videtur. Nam Aristoteles eiusque discipulus

---

1) Kühner Gramm. § 606, I, c, pag. 284. — 2) De his omnibus hos consului libros: Thomaschewski, De praepos. *κατά* vi et usu, diss. inaug. Regim. Pr. 1857; Lexicon Aeschyleum ed. Guilelmus Dindorf Lips. 1873; Lexicon Sophocleum ed. Guilelmus Dindorf Lips. 1870; Thesaurus Graecae Linguae ab Henrico Stephano constructus. Editio tertia curata a Hase, L. et G. Dindorf Paris. 1831—65; Lexicon Xenophonteum ab Frid. Guil. Sturz conf. vol. II Lips. 1802; Eucken l. c. pag. 89 sqq.; Krebs l. c. pag. 128 sqq.

Theophrastus talia offerunt, et e Polybio Krebs quattuor laudat exempla. Loci Platonici hi sunt: Phaedon. 112 D (177, 6) *δυόμενα κατὰ τῆς γῆς* et 113 C (178, 19), articulus deest Tim. 25 D *ἔδυ κατὰ γῆς*, 25 D *νῆσος .. κατὰ τῆς θαλάττης δῦσα ἠφανίσθη*.

II. In oratione translata illa desuper tendendi vis

a) primum significationem alicuius in alium hostiliter se gerentis accepit; Latinum ‚contra', nostrum ‚gegen'. Plerisque locis particula huius notionis cum verbis dicendi coniungitur. Apolog. 23 D (36, 5) *τὰ κατὰ πάντων τῶν φιλοσοφούντων πρόχειρα*, 37 B (57, 3) *κατ' ἐμαυτοῦ ἐρεῖν αὐτός* — Protag. 323 B (67, 9) *λέγειν*, idem verbum Charmid. 158 D (8, 4) — Gorg. 472 A (36, 8) *μάρτυρας παρασχέσθαι*, 472 B (36, 17) *ψευδομάρτυρας .. παρασχόμενος* — Reipubl. III 391 A *φάναι* — Leg. I 636 D (16, 14) *τοῦτον τὸν μῦθον προςτεθεικέναι κατὰ τοῦ Διός*, XII 941 A *γραφαὶ κατὰ τούτων ἔστων*.

b) Notione hostiliter agendi dilatata *κατά* eodem atque *περί*, Latinum de, munere fungitur. Hoc genus in duas divido partes:

1) Altera eos locos complectitur, quibus particula arte cum verbo cohaeret. Coniunguntur hunc in modum verba cogitandi, dicendi, agendi.

Verba cogitandi unum habent locum: Phaedr. 279 A (73, 28) *ὃ μαντεύομαι κατ' αὐτοῦ, λέγειν ἐθέλω*.

Verba dicendi: Charmid. 169 A (20, 28) *τοῦτο κατὰ πάντων ἱκανῶς διαιρήσεται* — Euthydem 284 A (18, 9) *οὐδὲν κατὰ σοῦ ψεύδεται* — Menon. 76 A (122, 30) *κατὰ γὰρ παντὸς σχήματος τοῦτο λέγω*, 88 E (142, 19) *εἰπεῖν* — Cratyl. 395 C (20, 18) *λέγειν*, idem verbum Phaedon. 81 A (127, 6), Sympos. 193 C (30, 9) — Phaedr. 260 B (47, 2) *συντιθεὶς λόγον ἔπαινον κατὰ τοῦ ὄνου* — Reipubl. II 362 A *λέγειν* — Sophist. 226 C (16, 20) *ἐρέσθαι* — Leg. VI 773 B (176, 26) *κατὰ παντὸς εἷς ἔστω μῦθος γάμου*, VII 822 C *ψευδῆ φήμην ἡμῶν κατὰ θεῶν ὑμνούντων*.

Verba agendi: Hipp. min. 368 B (42, 6) *οὑτωσὶ ἐπίσκεψαι κατὰ πασῶν τῶν ἐπιστημῶν* — Menon. 73 D (119, 19) *εἴπερ ἕν γέ τι ζητεῖς κατὰ πάντων*, 74 B (120, 12) *μίαν ἀρετὴν λαβεῖν κατὰ πάντων* — Phaedon. 70 D (109, 1. 3) *Μὴ τοίνυν κατ' ἀνθρώπων ..*

σκόπει μόνον τοῦτο .. ἀλλὰ καὶ κατὰ ζῴων πάντων καὶ φυτῶν (cf. vers. 4 περὶ πάντων ἴδωμεν) — Phileb. 19 B τοῦτο κατὰ παντὸς ἑνὸς καὶ ὁμοίου καὶ ταὐτοῦ δρᾶν — Sophist. 253 B (59, 1) κατὰ τῶν ἄλλων δὴ τεχνῶν καὶ ἀτεχνιῶν τοιαῦτα εὑρήσομεν ἕτερα — Leg. IX 875 E ἓν .. κατὰ πάντων ἀναγκαῖον ἐπιτρέπειν κρῖναι.

2) Alteram huius generis partem titulo exornaverim ‚entferntere Beziehung'. Nam κατά hic minus arte cum verbo coniunctum est et aliarum vocum loco, velut adverbiorum, aut casuum, ut genetivi usurpatur. Menon. 77 A (124, 17) κατὰ ὅλου εἰπὼν ἀρετῆς πέρι. Pro adverbio verba accipienda sunt; praeterea moneri liceat hic artiorem cum verbo coniunctionem particula πέρι effici, remotiorem κατά. Eadem accidunt Sophist. 232 C (25, 25) ὁπόταν γενέσεώς τε καὶ οὐσίας πέρι κατὰ πάντων λέγηταί τι — Politic. 275 E ἥ καί τινα ἐπιμελητικὴν αὐτὴν ὀνομάσασιν ὡς κατὰ πάντων ἐξῆν, 276 C κατὰ πάντων ἀνθρώπων ἀρχῆς εἶναι τέχνη. Exspectares genetivum a substantivo ἀρχή pendentem. Haud parvam interpretandi difficultatem parat Tim. 60 B μέλι τὸ κατὰ πάντων μάλιστα πρόςρημα ἔσχε. Sequor Stallbaumium[1]), qui vertit ‚commune sive generale nomen'. Tim. 64 A κατὰ παντὸς αἰσθητοῦ καὶ ἀναισθήτου παθήματος τὰς αἰτίας λαμβάνωμεν. Ut pro genetivo cum substantivo αἰτία coniuncto hoc loco κατά usurpatum invenimus, ita nonnullis locis περί. Exemplum laudo Phaedon. 96 E (153, 1).

Omnes, quibus κατά c. gen. instructum est, notiones si perlustramus, Platonis scribendi genus a meliorum prosae orationis scriptorum eius temporis nihil differre invenimus. Sed adnotandum eam utendi rationem, in qua κατά idem valet atque περί, Latinum ‚de', quam Aeschylus et Sophocles poetae non noverunt, inde a Platone in usum venisse videri. Nam cum Thucydides nondum eam habeat, praeter Platonem haud raro offerunt Xenophon, oratores Attici, Aristoteles; Polybius nullum eiusmodi exemplum praebet.

---

1) cf. adnotat ad nostr. l.

2. Cum accusativo.

I. Notio localis.

a) Aliquid aliquo cursum dirigere significatur; sed cum genetivi potestas, quae huic respondet, principalem desuper movendi notionem ubique servaverit, paucis accusativi locis hoc esse motus iter perspici licet. Plurimos non solum huius sed etiam omnium utendi rationum locos, quibus notio localis se offert, Timaeus et Critias dialogi continent.

1) Ac primum quidem Germanice reddere possumus ‚nach — hin (hinab), zu, auf'.

α) Notionem proprie localem continent loci hi: Phaedon. 114 A (179, 23) *ἐπειδὰν .. γένωνται κατὰ τὴν λίμνην τὴν Ἀχερουσιάδα.* Idem verbum *γίγνεσθαι* praebent: Lysid. 203 A (62, 2), Tim. 40 C — Sympos. 190 E (26, 22) *ἓν στόμα ποιῶν ἀπέδει κατὰ μέσην τὴν γαστέρα* — Tim. 36 C *τὴν . . ταὐτοῦ* (sc. *φορὰν*) *κατὰ πλευρὰν ἐπὶ δεξιὰ περιήγαγε, τὴν δὲ θατέρου κατὰ διάμετρον ἐπ' ἀριστερά,* 36 D *κατὰ τἀναντία μὲν ἀλλήλοις προςέταξεν ἰέναι τοὺς κύκλους,* idem fere 39 B. 43 B *εἴς τε γὰρ τὸ πρόσθε . . καὶ πάντῃ κατὰ τοὺς ἓξ τόπους πλανώμενα προήειν,* 78 C, D *κατὰ τοὺς ὀχετοὺς τῆς ῥινὸς ἀφῆκε κοινόν, ὥσθ' ὅτε μὴ κατὰ στόμα ἴοι θάτερον,* 79 C *τὴν ἀναπνοὴν περιωθεῖ κατὰ τὴν τοῦ στόματος . . δίοδον* — Criti. 116 A *πύργους καὶ πύλας ἐπὶ τῶν γεφυρῶν κατὰ τὰς τῆς θαλάττης διαβάσεις ἑκασταχόσε ἐπιστήσαντες,* 118 D *διώρυχες . . κατὰ τὸ πεδίον . . ἀφεῖντο,* 119 E *πρὸς τὴν στήλην προςαγαγόντες κατὰ κορυφὴν αὐτῆς ἔσφαττον κατὰ τῶν γραμμάτων.* Ego verba sic interpretor: postquam taurum ad columnam adduxerunt, ad eius culmen i. e. eumque adductum ita direxerunt, ut, cum trucidaretur, sanguis eius desuper in columnam roraret, ibi immolaverunt.

β) In oratione translata hanc notionem localem usurpatam invenimus iis locis, quos nunc afferam. Plurimi coniungunt particulam cum verbo eundi, ut significatio haud procul absit a formula Latina ‚aggredi aliquid, sive ad aliquid'. Sympos. 205 D (45, 29 et pag. 46, l. 2) *οἱ μὲν ἄλλῃ τρεπόμενοι .. ἐπ' αὐτό, ἢ κατὰ χρηματισμὸν ἢ κατὰ φιλογυμναστίαν ἢ κατὰ φιλοσοφίαν .. οἱ δὲ κατὰ ἕν τι εἶδος* (sc. *ἔρωτος*) *ἰόντες,* idem verbum Theaetet.

188 C (67,15), 188 D (67,16) — Phaedr. 229 E (4,19) εἴ τις .. προςβιβᾷ κατὰ τὸ εἰκὸς ἕκαστον. Stallbaum ad nostr. l. sic vertit »si quis .. unum quodque ad verisimilitudinis et probabilitatis rationem exigere vel adducere voluerit«. 245 A (25,8.9) ἐγείρουσα καὶ ἐκβακχεύουσα κατά τε ᾠδὰς καὶ κατὰ τὴν ἄλλην ποίησιν — Reipubl. III 396 D ὅταν δὲ γίγνηται (sc. ἐν τῇ διηγήσει) κατά τινα ἑαυτοῦ ἀνάξιον — Parmen. 152 B ὅταν κατὰ τὸν νῦν χρόνον ᾖ γιγνόμενον (sc. τὸ ἕν), 152 C ἐπειδὰν κατὰ τοῦτο (= τὸ νῦν) ᾖ (sc. τὸ ἕν). Quod hic verbum quietis notione instructum habemus, nobis mirationi non erit nam haud raro Graecos non actionem, sed actum perfectum respicientes verba eligere notum est — Phileb. 15 D ταὐτὸν .. περιτρέχειν πάντῃ καθ' ἕκαστον τῶν λεγομένων — Sophist. 235 C (30,6) μετιέναι καθ' ἕκαστά τε καὶ ἐπὶ πάντα pro solito μετιέναι τι [cf. 252 B (57,16)]; 264 E (77,29) πορεύεσθαι κατὰ τοὐπὶ δεξιὰ ἀεὶ μέρος τοῦ τμηθέντος — Politic. 284 B ἐπειδὴ κατὰ τοῦτο διέφυγεν ἡμᾶς ὁ λόγος — Tim. 80 B ἀλλ' ἀρχὴν βραδυτέρας φορᾶς κατὰ τὴν τῆς θάττονος, ἀπολῃγούσης δὲ ὁμοιότητα προςάψαντες — Leg. IV 708 D (103,15) καθάπερ ἵππων ζεῦγος καθ' ἓν εἰς ταὐτὸν .. συμφυσῆσαι, V 732 C (131,5.6) κατά τε εὐπραγίας ἱσταμένου τοῦ δαίμονος ἑκάστου καὶ κατ' ἀτυχίας [1]). Ego Zelleri [2]) sententiam secutus sic verto: cuiusque genio sive in rerum secundarum sive adversarum transeunte partes, Germanice: indem sich der Genius eines jeden auf die Seite des Glücks neigt und auf die des Unglücks.

2) Respondet vernaculum ‚in — hinein, in'.

α) Proprie dictum. Reipubl. X 614 D καθ' ἑκάτερον τὸ χάσμα .. ἀπιούσας τὰς ψυχάς — Tim. 71 C γλυκύτητι τῇ κατ' ἐκεῖνο (= ἧπαρ) ξυμφύτῳ — Criti. 121 C κατὰ μέσον παντὸς τοῦ κόσμου βεβηκυῖα — Leg. X 905 A δύσει κατὰ τὸ τῆς γῆς βάθος.

β) In oratione translata. Cratyl. 427 C (69,7) τἆλλα οὕτω φαίνεται προςβιβάζειν καὶ κατὰ γράμματα καὶ κατὰ συλλαβάς. Stallbaum in editione vertit »et reliqua ita videtur redi-

---

1) cf. Stallbaumii et Schanzii adnotationes ad nostrum locum. — 2) Zeller, Plat. Studien 96,1.

gere in litteras atque syllabas« — Sophist. 235 C (30, 2) ἐὰν .. κατὰ μέρη τῆς μιμητικῆς δύνηταί πῃ — Tim. 51 A τῷ τὰ τῶν πάντων .. κατὰ πᾶν ἑαυτοῦ πολλάκις ἀφομοιώματα καλῶς μέλλοντι δέχεσθαι. Reliquum est, ut formulam κατὰ πόδα adiciamus. Nam quamquam prorsus in temporalem abiit usum, localis notio principalis iam nunc tam clare apparet, ut iusto iure hic ponamus. Bis omnino occurrit: Sophist. 243 D (43, 13), Leg. XI 918 A.

b) Aliquid per aliquem locum diffundi indicatur; Latinum ‚per', Germanicum ‚durch — hin, über — hin, auf'. Ut antea, ita hic raro notio principalis (desuper) elucet.

α) Propria significatione. Protag. 313 D (56, 2) τὰ μαθήματα περιάγοντες κατὰ τὰς πόλεις — Cratyl. 420 E (58, 15) τῇ κατὰ τὰ ἄγκη πορείᾳ — Phaedon. 92 A (144, 24) ψυχὴν δὲ ἁρμονίαν τινὰ ἐκ τῶν κατὰ τὸ σῶμα ἐντεταμένων συγκεῖσθαι, 112 D (177, 11) ἔνια καταντικρὺ ἢ ἐξέπεσεν εἰςρεῖ, ἔνια δὲ κατὰ τὸ αὐτὸ μέρος — Sympos. 174 D (4, 16) κατὰ τὴν ὁδὸν πορευόμενον. Similes huius loci sunt: Phaedr. 227 A (1, 5) κατὰ τὰς ὁδοὺς ποιοῦμαι τοὺς περιπάτους, Tim. 22 C κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς ὁδὸν ἐλαύνειν, 39 A κατὰ .. τὴν θατέρου φορὰν .. περιῄειν, 64 B κατ' οὐδένα τε κύκλον ἰόν — Phaedr. 229 A (3, 21) κατὰ τὸ ὑδάτιον βρέχουσι τοὺς πόδας ἰέναι, quae sic verto: in rivo secunda aqua descendere — Reipubl. II 359 D θυρίδας .. καθ' ἃς ἐγκύψαντα — Theaetet. 208 D (97, 9) ὅτι τὸ λαμπρότατόν ἐστι τῶν κατὰ τὸν οὐρανὸν ἰόντων (sc. ὁ ἥλιος), iam huc spectant Tim. 22 D, Leg. XII 967 C — Tim. 19 E ἅτε πλανητὸν ὂν (sc. τὸ τῶν σοφιστῶν γένος) κατὰ πόλεις, idem verbum 86 E, 91 C; 40 A κόσμον ἀληθινὸν αὐτῷ (= τῷ οὐρανῷ) πεποικιλμένον εἶναι καθ' ὅλον. Susemihl [1]) vertit »auf dass es demselben ein wahrhafter Schmuck und eine bunte Zierde nach dessen ganzem Umfange sei«. 70 B τοῦ περιφερομένου κατὰ πάντα τὰ μέλη σφοδρῶς αἵματος, 71 B κατὰ πᾶν ὑπομιγνῦσα (obiectum: μέρος τῆς πικρότητος ξυγγενές) ὀξέως τὸ ἧπαρ, 74 C ψῦχος κατὰ πᾶν τὸ σῶμα παρέξειν, 78 C κατὰ μὲν τὰς ἀρτηρίας εἰς τὸν

1) Uebersetzungen. Herausgegeben von Osiander und Schwab. Griechen vol. 274 pag. 702.

πλεύμονα καθῆκε θάτερον (sc. *ἐγκόρτιον*) (paulo post *παρὰ τὰς ἀρτηρίας*), 79 D *κατὰ μέσον διατεταμένον*, 79 E *τῆς μὲν* (sc. *διεξόδου*) *κατὰ τὸ σῶμα ἔξω, τῆς δὲ αὖ κατὰ τὸ στόμα καὶ τὰς ῥῖνας*, 80 D *καθ' ὅλον τὸ σῶμα .. τὰ τῆς τροφῆς νάματα οὕτως ἐπίρρυτα γέγονε*. Similes: 80 E, 85 E *κατὰ πᾶν τὸ σῶμα ἐξέπεσεν* (sc. *ἡ χολή*), 91 A *τὴν τοῦ ποτοῦ διέξοδον .. ξυνέτρησαν εἰς τὸν ἐκ τῆς κεφαλῆς κατὰ τὸν αὐχένα καὶ διὰ τῆς ῥάχεως μυελὸν ξυμπεπηγότα* — Criti. 117 B haud facilis est intellectu: *τὸ δὲ* (= *ὕδωρ*) *ἐπὶ τοὺς ἔξω κύκλους δι' ὀχετῶν κατὰ τὰς γεφύρας ἐπωχέτευον*. Susemihl [1]) recte hunc locum interpretari mihi videtur, cum vertit »teils aber (sc. leiteten sie das abfliessende Wasser) auch durch Kanäle über die Brücken weg in die äusseren Ringe hinein« — Leg. XII 952 E *κατὰ θάλατταν ἀτεχνῶς οἷον πετόμενοι*.

β) Translata in oratione. Reipubl. III 410 B *κατὰ ταὐτὰ ἴχνη ταῦτα· ὁ μουσικὸς γυμναστικὴν διώκων*. Similes: Phileb. 44 D, Leg. XII 951 B — Theaetet. 194 B (76, 9) *κατὰ τὸ εὐθὺ τὰ οἰκεῖα συνάγουσα ἀποτυπώματα* — Parmen. 152 A *εἴπερ προέρχεται κατὰ χρόνον* (sc. *τὸ ἕν*), tempus quasi via est, qua Unum progreditur — Phileb. 47 A *ὁπόταν .. πλείων ἡδονὴ κατὰ τὰ τοιαῦτα πάντα ξυμμιχθῇ* — Sophist. 237 B (32, 23) *κἀμὲ κατὰ ταύτην τὴν ὁδὸν ἄγε*, 260 B (70, 14) *κατὰ πάντα τὰ ὄντα διεσπαρμένον* (sc. *τὸ μὴ ὄν*) — Politic. 268 D *δεῖ καθ' ἑτέραν ὁδὸν πορευθῆναί τινα*. Iam huc pertinent: Leg. III 688 E (80, 11), IV 707 D (102, 13), VII 803 E, IX 859 B — Leg. VII 813 D *πάντα ἡμῖν κατ' ὀρθὸν πλεῖ*.

c) Alicuius rei non per, sed secundum aliam rem se moventis significatio adest uno loco: Phaedr. 229 A (3, 18) *κατὰ τὸν Ἰλισὸν ἴωμεν*. Eadem vis subest verborum coniunctioni *κατὰ ῥοῦν*. Semel ea usus est Plato in oratione translata: Reipubl. VI 492 C.

d) Motus notio in quietem transcendit.

1) Plerumque respondent Latina ‚in, apud'.

α) Proprie dictum.

---

1) l. c. vol. 283 pag. 909.

Criton. 45 C (69, 10) *τῶν κατὰ Θετταλίαν*, substantivi *τῶν Θετταλῶν* loco usurpatum. Idem cadit in Reipubl. IV 435 E *οἷον οἱ κατὰ τὴν Θρᾴκην τε καὶ Σκυθικὴν καὶ σχεδόν τι κατὰ τὸν ἄνω τόπον*, 436 A *περὶ τούς τε Φοίνικας καὶ τοὺς κατὰ Αἴγυπτον*, Leg. XII 966 C *τοῖς πλείστοις τῶν κατὰ πόλιν*.

κατ' οἰκίαν et similia praebent: Lachet. 180 D (33, 31), Reipubl. IX 577 A, Leg. VI 758 B (159, 24) *τὰ κατὰ τὰς οἰκήσεις*, VII 788 A et XII 954 D *κατ' οἰκίας*, VII 807 E, XI 934 C *τὰς οἰκίας*.

κατὰ πόλιν sive *κατὰ τὴν πόλιν*, similia haud pauci exhibent loci. Satis habebo afferre: Gorg. 484 D (54, 23) *τῶν νόμων .. τῶν κατὰ τὴν πόλιν*, Reipubl. III 399 D *κατὰ πόλιν*, V 475 D *οὔτε τῶν κατὰ πόλεις* (sc. *Διονυσίων*) *οὔτε τῶν κατὰ κώμας ἀπολειπόμενοι*, Politic. 278 E *τῶν* (a nominativo *τά*) *κατὰ πόλιν*, Tim. 87 B *κατὰ πόλεις*, Leg. VII 797 A *πάσας πόλεις*, IX 861 B *πάσας τὰς πόλεις*, 870 B *πόλεις πάσας*.

Similitudinis causa iam nunc eos locos afferre mihi liceat, quibus *κατ' ἄστυ*, *κατὰ τὸ ἄστυ*, alia id genus exhibentur, quamquam omnes insunt in Legibus. III 678 B (66, 3) *τὰ ἄστη*, VI 763 C (165, 28), 779 C (184, 7), XII 954 C, 954 D.

κατὰ τόπον similiaque. Gorg. 496 E (71, 35) *γίγνεται κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον καὶ χρόνον*, Reipubl. II 359 D, Tim. 22 E *τήνδε τὴν χώραν*, 23 A, 63 D, 83 A *μένοντι κατὰ χώραν*, Criti. 111 D, 112 C, 114 D *τὴν ἄλλην χώραν*, 114 E, Leg. VII 796 B, VIII 830 E *πᾶσαν τὴν χώραν*.

Phaedon. 112 C (176, 25) *τοῖς κατ' ἐκεῖνα τὰ ῥεύματα διὰ τῆς γῆς εἰςφρεῖ* (sc. *τὸ ὕδωρ*), sic Schanz [1]) cum Madvigio pro vulgato *εἰςρεῖ*. Schleiermacher [2]) vertit »so fliesst es in das Gebiet der dortigen Ströme«. Stallbaum [3]) sic interpretatur »influit in ea, quae ad illa flumina pertinent, in illorum fluminum tractus et regiones«.

Phaedon. 113 A (178, 4) *τρίτος δὲ ποταμὸς τούτων κατὰ μέσον ἐκβάλλει*. Praeterea huc referri debent: Reipubl. X 616 C, Sophist. 229 B (21, 7), Tim. 63 A, Criti. 113 C, 117 C, 118 A, 119 C, Leg. VIII 848 C, X 908 A.

---

1) edit. vol. I pag. 176. — 2) II 3, 114. — 3) ad hunc l.

Sympos. 193 A (29, 28) *διαπεπρισμένοι κατὰ τὰς ῥῖνας*, 196 A (33, 25) *ἡ κατ' ἄνθη δίαιτα.*

κατὰ θάλατταν. Reipubl. II 371 A, Politic. 289 E, Leg. III 679 D (68, 4), 682 C (71, 25), IV 706 B (100, 18), 707 C (102,5), VII 789 D, 823 E, IX 866 D *ἂν μὲν κατὰ θάλατταν ἐκπίπτῃ πρὸς τὴν χώραν*, XII 944 B, 952 E.

κατ' ἀγρούς hi praebent loci: Reipubl. III 399 D, Leg. IX 881 C, XII 954 D.

κατ' ἀγοράν sive *κατ' ἀγοράς.* Reipubl. IV 425 C, D *κατ' ἀγοράς*, Theaetet. 142 A (1, 2), Parmen. 126 A, Politic. 289 E *κατ' ἀγοράς*, Leg. VI 764 B (166, 24), VII 817 C, VIII 849 A, XI 915 D, 917 B, XII 954 C, D.

Reipubl. VIII 563 C *κατὰ τὰς ὁδοὺς ἐμβάλλοντες τῷ ἀεὶ ἀπαντῶντι*, similis est locus: Leg. I 625 B (1, 22) — Tim. 22 D *ὅσοι κατ' ὄρη καὶ ἐν ὑψηλοῖς τόποις .. οἰκοῦσι.* Porro sunt eiusmodi loci: Criti. 114 E, 115 A — Tim. 21 E *ἔστι τις κατ' Αἴγυπτον .. ἐν τῷ Δέλτα, περὶ ὃ κατὰ κορυφὴν σχίζεται τὸ τοῦ Νείλου ῥεῦμα.* Ceteri eius generis loci sunt: Leg. I 634 C (13, 26) *κατὰ Κρήτην*, eadem verba: VIII 834 B, XII 950 C; II 656 D (39, 17) *κατ' Αἴγυπτον* (vers. 18 *ἐν Αἰγύπτῳ*), VII 796 B *κατὰ Λακεδαίμονα* — Tim. 35 A *ἐν μέσῳ τοῦ τε ἀμεροῦς αὐτῶν καὶ τοῦ κατὰ τὰ σώματα μεριστοῦ.* Susemihl [1]) sic vertit »und dem an den Körpern haftenden Getheilten«. Paulo ante in eadem paragrapho: *τῆς περὶ τὰ σώματα γιγνομένης μεριστῆς* (sc. *οὐσίας*). Susemihl [2]) »Derjenigen Wesenheit, welche an den Körpern theilbar wird«. Tim. 52 B *τὸ μήτ' ἐν γῇ μήτε που κατ' οὐρανὸν* (sc. *ὄν*), idem Leg. VII 821 C *θεῶν τῶν κατ' οὐρανόν*, X 889 C, 896 E, XII 967 B — Tim. 54 E *ξύνδυο δὲ τοιούτων κατὰ διάμετρον ξυντιθεμένων.* Haec verba sic accipio ‚Quodsi bini trianguli ad diametrum componuntur', nimirum ad figuram quadratam formandam. Eadem est ratio eiusdem loci verborum: *τρίγωνα δὲ ἰσόπλευρα ξυνιστάμενα τέτταρα κατὰ σύντρεις ἐπιπέδους γωνίας μίαν στερεὰν γωνίαν ποιεῖ.* Liceat mihi Germanice vertere: Wenn aber 4 gleichseitige Dreiecke an je 3 Flächenwinkeln verbunden werden, so bilden sie einen

---

1) l. c. vol. 274 pag. 694. — 2) l. c. vol. 274 pag. 693.

körperlichen Winkel. Tim. 57 A *τῇ τῶν γωνιῶν καὶ κατὰ τὰς πλευρὰς ὀξύτητι*, 63 B *ἐν τῷ τοῦ παντὸς τόπῳ, καθ' ὃν ἡ τοῦ πυρὸς εἴληχε μάλιστα φύσις.* Verba *καθ' ὃν* Stallbaumium [1]) offenderunt, quod verbi *εἴληχε* obiectum desideratur. Nonne ita interpretari possumus, ut verbo *εἶναι* ad *εἴληχε* suppleto vertamus: quo loco praecipue esse sive versari ignis naturae sorte contigit? Nam eundem in modum verbum *λαγχάνειν* cum infinitivo coniungitur huius dialogi 52 A *τοῦτο ὃ δὴ νόησις εἴληχεν ἐπισκοπεῖν.* 74 E *κατὰ τὰς ξυμβολὰς τῶν ὀστῶν .. βραχεῖαν σάρκα ἔφυσεν*, 77 E *κατὰ κορυφήν*, 78 B *κατὰ τὴν εἴσοδον*, similia 79 E — Criti. 114 C *πολλῶν ἄλλων κατὰ τὸ πέλαγος νήσων*, 115 E *τοὺς τῆς γῆς τροχοὺς .... κατὰ τὰς γεφύρας διεῖλον.*

Leges verborum coniunctionem *κατὰ γῆν* et *κατὰ θάλατταν* septies praebent. Laudo III 678 C (66, 19); verborum ordo mutatus est XII 951 C *ἐξιόντα κατὰ θάλατταν καὶ γῆν.*

Leg. III 680 B (68, 27) *ἢ .. καὶ ἐν Ἕλλησι καὶ κατὰ βαρβάρους ἐστίν*, Leg. IV 704 B (98, 10) *λιμένες ἆρ' εἰσὶν κατὰ ταῦτα αὐτῆς;*. Recte vertit Stallbaum in editione »in his eius (= urbis) partibus, quae mari vicinae sunt«. X 904 C *κατὰ τὸ τῆς χώρας ἐπίπεδον μεταπορεύεται.*

β) In translata oratione. Menon. 88 A (141, 16) *τὰ κατὰ τὴν ψυχὴν σκεψώμεθα* et 88 C (142, 3) (cf. pag. 142, 1) — Cratyl. 405 D (36, 8) *ὁμοπολῶν ταῦτα πάντα καὶ κατὰ θεοὺς καὶ κατ' ἀνθρώπους.* Similia praebent: Sympos. 188 D (23, 22), Theaetet. 176 A (49, 19), Tim. 88 B, Leg. XI 927 A — Sympos. 186 B (20, 19) *ἐπὶ πᾶν ὁ θεὸς τείνει καὶ κατ' ἀνθρώπινα καὶ κατὰ θεῖα πράγματα*, 196 E (34, 23) *πᾶσαν ποίησιν τὴν κατὰ μουσικήν.* Huc referri debet Phileb. 56 E. Sympos. 206 B (46, 28) *ἔστι τοῦτο τόκος ἐν καλῷ καὶ κατὰ τὸ σῶμα καὶ κατὰ τὴν ψυχήν.* Similia: Lysid. 218 B (79, 27), Theaetet. 153 C (17, 2. 3), Leg. V 734 D (133, 34) — Reipubl. III 395 D *ὅτι αἱ μιμήσεις .. εἰς ἔθη τε καὶ φύσιν καθίστανται καὶ κατὰ σῶμα καὶ φωνὰς καὶ κατὰ τὴν διάνοιαν*, III 404 E *ἐκεῖ .. ἀκολασίαν ἡ ποικιλία ἐνέτικτεν*,

---

1) Adnotat. ad hunc l.

ἐνταῦθα δὲ νόσον, ἡ δὲ ἁπλότης κατὰ μὲν μουσικὴν ἐν ψυχαῖς σωφροσύνην, κατὰ δὲ γυμναστικὴν ἐν σώμασιν ὑγίειαν; — Sophist. 236 B, C (31, 13. 14) πάμπολυ καὶ κατὰ τὴν ζωγραφίαν τοῦτο τὸ μέρος ἐστὶ καὶ κατὰ ξύμπασαν μιμητικήν;, 241 B (39, 19) ψευδῆ .. ὡς ἔστιν ἐν δόξαις τε καὶ κατὰ λόγους; — Politic. 306 C, D ὀξύτητα καὶ τάχος, εἴτε κατὰ σώματα εἴτε ἐν ψυχαῖς εἴτε κατὰ φωνῆς φοράν, 307 A περί τε διάνοιαν πραττόμενα ἀγασθέντες καὶ κατὰ τὰς πράξεις αὖ βραδέα καὶ μαλακά — Leg. VII 798 E ὅπως ἂν ἡμῖν οἱ παῖδες μήτε ἐπιθυμῶσιν ἄλλων μιμημάτων ἅπτεσθαι κατὰ ὀρχήσεις ἢ κατὰ μελῳδίας. Plerisque huius generis locis notio localis iam non perspici potest, in eam transcendit notionem, quam nominavi ‚entferntere Beziehung'. Ibi, si qui huius generis loci reliqui sunt, invenies.

2) Duobis locis particula vertenda est Latine ‚adversus'. Phaedr. 251 D (35, 4) τῇ διεξόδῳ ἐγχρίει ἑκάστῃ (sc. βλάστῃ) τῇ καθ' αὐτήν. Stallbaum vertit in editione sua »exitum pulsat quemque ei adversum«. Leg. IX 855 D κατὰ τὸ στόμα τοῦ διώκοντός τε καὶ φεύγοντος ὁ δικαστὴς .. ἱζέσθω.

II. Notio temporalis.

Significatur temporis spatium, intra quod aliquid fit.

a) Actio totum temporis spatium, quod comprehendit κατά, complet. Latinum ‚per', Germanicum ‚während'. Phaedr. 240 B (18, 17) οἷς τό γε καθ' ἡμέραν ἡδίστοισιν εἶναι ὑπάρχει. Hic locus praeter temporis etiam finis indicationem continet; nam non tam ‚unum per diem' quam ‚unum in diem' verti potest. Reipubl. III 396 D οὐκ ἐθελήσειν σπουδῇ ἀπεικάζειν ἑαυτὸν τῷ χείρονι, εἰ μὴ ἄρα κατὰ βραχύ, Latine ‚nisi per breve temporis spatium'. Leg. VI 759 D (161, 7) κατ' ἐνιαυτὸν δὲ εἶναι καὶ μὴ μακρότερον τὴν ἱερωσύνην. Haec verba ut antea Phaedri, praeterquam quod temporalem notionem habent, aliquid finis redolent. Quod idem cadit in 767 C (170, 9). Iam huc refero VII 794 B κοσμοῦσαν κατ' ἐνιαυτόν.

b) Actio non totum tempus, quod significat κατά, exhaurit, sed intra aliquam eius partem sive parvam sive magnam fit. Protag. 314 C (5?, 32) ἡμῖν κατὰ τὴν ὁδὸν ἐν-

ἔπεσεν. Praeterea huiusmodi sunt loci: Tim. 20 C, 89 A *κατὰ τοὺς πλοῦς*, Leg. I 625 A (1, 20) *τὴν διατριβὴν .. κατὰ τὴν πορείαν ποιήσασθαι* — Gorg. 488 A (58, 32) *εἴ τι μὴ ὀρθῶς πράττω κατὰ τὸν βίον τὸν ἐμαυτοῦ* — Reipubl. VI 502 D *κατὰ ποίας ἡλικίας ἕκαστοι ἑκάστων ἁπτόμενοι*, VIII 556 C *ὅταν παραβάλλωσιν ἀλλήλοις .. ἢ ἐν ὁδῶν πορείαις .. ἢ κατὰ θεωρίας ἢ κατὰ στρατείας*. Similes sunt loci Leg. I 632 A (10, 24) *ὅσα τε κατὰ νόσους ἢ κατὰ πολέμους ἢ πενίας ἢ τὰ τούτοις ἐναντία γιγνόμενα .. παθήματα*, V 738 A (138, 6) et VII 803 D *κατ' εἰρήνην*. Praeterea huc referenda est verborum coniunctio *κατὰ πόλεμον*, quae quattuordecies occurrit. Satis habebo hunc locum afferre: Leg. IX 865 A *εἴ τις .. ἀπέκτεινέ τινα φίλιον, ἢ κατὰ πόλεμον ὡσαύτως ἢ κατὰ μελέτην τὴν πρὸς πόλεμον.*

κατὰ καιρόν tribus his locis invenitur: Politic. 270 A, Leg. I 630 C (8, 25), III 702 B (97, 10).

Politic. 271 A *κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον*. Similia eiusdem dialogi 274 C, Tim. 21 B, 40 C. 91 A, Leg. III 678 E (67, 5), 680 A (68, 18), 698 B (92, 5), V 738 D (138, 30), XII 948 B.

Tim. 71 D *καθ' ὕπνον*, idem 71 E, 85 A, Leg. VII 800 A.

Leg. V 732 D (131, 15) *κατά τε παιδιὰς καὶ σπουδὰς ἀναμιμνῄσκοντα ἕτερον*, VI 760 D (162, 14) *ἵνα ὡς πλεῖστοι .. μὴ μόνον ἔμπειροι τῆς χώρας γίγνωνται κατὰ μίαν ὥραν τοῦ ἐνιαυτοῦ*, idem fere 761 C (163, 8). VI 772 B (175, 19) *τοὺς δ' ἐμπείρους ἀεὶ κατ' ἐνιαυτὸν γιγνομένους αὐτῶν ἀπὸ τῆς χρείας μανθάνοντας*, VII 829 C *κατά τε τοὺς ἀγῶνας ἐν παντί τε αὖ τῷ βίῳ.*

Restat, ut addamus etiam formulas *κατ' ἀρχάς* (initio) et *κατὰ σχολήν* (per otium) apud Platonem saepissime occurrere. Priorem invenimus sexaginta et uno locis, velut Apolog. 27 B (41, 15); uno loco Politic. 292 B eadem instructa potestate se offerunt nobis verba *κατὰ πρώτας*: *τῷ ῥηθέντι κατὰ πρώτας πότερον ἐμμενοῦμεν.* Alteram praebent undecim loci, velut Phaedr. 228 A (2, 13).

III. Translaticius particulae usus.

a) *κατά* significat normam, ad quam fit aliquid. Respondent Latinum ‚secundum', Germanicum ‚gemäss'. Hoc

utendi genus ideo primo usus translaticii posuimus loco, quod plurimos sibi vindicat locos.

1) Multitudine prae ceteris florent loci, quibus κατά substantiva notione cogitandi, dicendi, agendi instructa sibi adiungit; nam ducenties quinquagies septies hoc factum videmus. Ac substantiva ordine alphabetico usus enumerabo singulis additis exemplis. γνώμη Sophist. 225 D (15,26) κατὰ γνώμην τὴν ἐμήν. γράμμα Phaedr. 229 E (4,22) κατὰ τὸ Δελφικὸν γράμμα. δόξα Cratyl. 387 A (6, 30) οὐ κατὰ τὴν ἡμετέραν δόξαν. ἔθος Politic. 299 A κατὰ τὰ παλαιὰ τῶν προγόνων ἔθη. ἐντολή Charmid. 157 C (6, 16) κατὰ τὰς τοῦ ξένου ἐντολάς. ἐπιστολή Criti. 119 C κατὰ ἐπιστολὰς τὰς τοῦ Ποσειδῶνος. ἐπίταξις Leg. III 687 C (78, 14) κατὰ τὴν τῆς αὑτοῦ ψυχῆς ἐπίταξιν. κρίσις Phileb. 67 A κατὰ τὴν κρίσιν. λόγος (= verbum, dictum, sermo, disputatio, similia) Apolog. 27 C (41, 28) κατὰ τὸν σὸν λόγον. μαντεία Leg. I 642 D (24, 2) κατὰ τὴν τοῦ θεοῦ μαντείαν. μέθοδος Theaetet. 183 C (60, 9) κατά γε τὴν τοῦ πάντα κινεῖσθαι μέθοδον. νόμιμα Leg. VIII 846 B νόμιμα, καθ᾽ ἅ. νόμος (= lex, mos) Apolog. 35 C (54, 17) κατὰ τοὺς νόμους. ὁμολογία Criton. 52 D (82, 4) παρὰ τὰς ξυνθήκας τε καὶ τὰς ὁμολογίας, καθ᾽ ἅς. παροιμία Sophist. 261 B (71,29) τὸ κατὰ τὴν παροιμίαν λεγόμενον. σύγγραμμα Politic. 299 D κατὰ συγγράμματα. συνθήκη Theaetet. 183 C (60,.14) κατὰ τὰς συνθήκας. τάξις Phaedr. 247 A (28,19) κατὰ τάξιν ἣν ἕκαστος ἐτάχθη. ὑπόθεσις Gorg. 454 C (11, 32) σὺ τὰ σαυτοῦ κατὰ τὴν ὑπόθεσιν ὅπως ἂν βούλῃ περαίνῃς. φήμη Leg. VII 792 D κατά τινα μαντείας φήμην. χρησμός Reipubl. VIII 566 C κατὰ τὸν Κροίσῳ γενόμενον χρησμόν. ψῆφος Phileb. 57 A κατὰ τὴν ἐμὴν ψῆφον τιθείην.

Denique participia eius generis verborum. Dicendi Phaedon. 115 B (181, 20) ὥςπερ κατ᾽ ἴχνη κατὰ τὰ νῦν εἰρημένα ζῆν. Scribendi Leg. XI 924 B κατὰ ταῦτα τὰ γραφέντα. Imperandi et mandandi ἐπιστέλλειν Sophist. 235 B (29, 30) κατὰ τὰ ἐπεσταλμένα ὑπὸ τοῦ βασιλικοῦ λόγου, νομίζειν Reipubl. I 348 E κατὰ τὰ νομιζόμενα λέγοντες, προςτάττειν Leg. IX 873 D κατὰ τὰ προςταττόμενα.

Vocem *λόγος* etiam alia ac modo praeditam potestate cum *κατά* coniunctam videmus.

α) κατὰ λόγον idem valet ac nostrum 'nach Verhältnis' octo locis. Laudo Leg. III 676 B (63, 23) *κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ τοῦ πλήθους λόγον οὐκ ἐλάττους ἐφθαρμέναι.*

β) κατὰ λόγον significat nostrum 'vernunftgemäss' undecim locis. Exempli causa commemoro Reipubl. VIII 545 C *κατὰ λόγον γέ τοι ἂν οὕτω γίγνοιτο ἥ τε θέα καὶ ἡ κρίσις.* De iis locis, quibus *λόγος* potestate nostri verbi 'Grund' instructus cum *κατά* coniungitur, postea, ubi de hac particulae notione agam, disputabo.

2) *κατὰ νοῦν* 'nach Wunsch' vicies quinquies reperitur, velut Euthyphr. 3 E (3, 27). Accedit Cratyl. 420 D (58, 12) *τῷ κατὰ τὴν βούλησιν γιγνομένῳ.*

3) Iam secum coniungit particula substantiva aequitatem significantia. Apolog. 36 D (56, 13) *κατὰ τὴν ἀξίαν τιμᾶσθαι,* idem Phaedon. 113 E (179, 9). Apolog. 37 A (56, 22) *κατὰ τὸ δίκαιον τῆς ἀξίας τιμᾶσθαι.* Alia id genus praebent: Gorg. 471 A (34, 30), 471 C (35, 11), 488 C (59, 17), 518 A (102, 9). *κατ' ἀξίαν* Phaedr. 247 C (29, 13), 278 B (72, 23), Reipubl. VI 496 A, B, VII 535 C.

4) Substantiva similitudinis notione. Cratyl. 424 D (65, 5) *ἐπιφέρειν ἕκαστον κατὰ τὴν ὁμοιότητα,* idem substantivum Phaedon. 82 A (128, 21), Lysid. 222 B (84, 10), Tim. 42 C. Praeterea huc spectant: Politic. 307 D *κατὰ τὴν ξυγγένειαν,* 309 C *κατὰ τὸ ξυγγενές,* Tim. 88 E *κατὰ ξυγγενείας.*

5) *κατὰ* cum substantivo personam significanti coniunctum idem valet ac Latinum 'secundum alicuius hominis dictum sive sententiam'. Protag. 340 D (87, 20) *καθ' Ἡσίοδον,* Lachet. 188 B (43, 26) *κατὰ τὸ τοῦ Σόλωνος,* Menon. 76 C (123, 18) *κατὰ Ἐμπεδοκλέα,* Cratyl. 386 D (6, 13) *οὐδὲ κατ' Εὐθύδημόν γε σοὶ δοκεῖ,* 401 D (30, 13) *καθ' Ἡράκλειτον,* Sympos. 174 C (4, 10) *καθ' Ὅμηρον,* idem Reipubl. V 468 C, Leg. I 624 A (1, 7). Phaedr. 227 B (1, 15) *κατὰ Πίνδαρον,* praeterea Reipubl. II 365 B, Theaetet. 173 E (46, 12). Phaedr. 242 D (21, 24) *κατ' Ἴβυκον,* Reipubl. I 334 B *ἔοικεν οὖν ἡ δικαιοσύνη καὶ κατὰ σὲ καὶ καθ' Ὅμηρον καὶ κατὰ Σιμωνίδην κλεπτική τις εἶναι,* II

361 B et VIII 563 B *κατ' Αἰσχύλον*, Theaetet. 160 C (27, 23) *κατὰ τὸν Πρωταγόραν*, idem vers. 34. 160 D (27, 33) *κατὰ μὲν Ὅμηρον καὶ Ἡράκλειτον καὶ πᾶν τὸ τοιοῦτον φῦλον*, 160 E (28, 2) *κατὰ δὲ Θεαίτητον*, 210 A (99, 15) *λόγου γὰρ πρόςληψις τοῦτ' ἂν εἴη κατ' ἐκεῖνον*, Phileb. 57 D *κατὰ σέ*, Sophist. 243 E (43, 20) *ἀλλὰ μὴ δύο ἔτι καθ' ὑμᾶς τιθῶμεν*, Tim. 40 E *οὕτως οὖν κατ' ἐκείνους ἡμῖν ἡ γένεσις .. ἐχέτω καὶ λεγέσθω.* Adicio eiusdem notionis locum, quo rem indicatam invenimus: Euthydem. 291 D (28, 13) *κατὰ τὸ Αἰσχύλου ἰαμβεῖον.*

6) *κατά* et substantivum eius praecedit gradus comparativus sive adiectivi sive adverbii cum iis particula *ἤ* coniunctus. Respondet Latinum ‚quam pro', nos pro comparativo particula ‚zu' cum positivo coniuncta et pro *κατά* praepositione ‚für' uti solemus. Inest in hac verborum coniunctione nimii notio. Hi sunt loci: Apolog. 20 E (31, 22) *οὗτοι τάχ' ἂν .. μείζω τινὰ ἢ κατ' ἄνθρωπον σοφίαν σοφοὶ εἶεν*, Latine ‚sed illi fortasse sapientiores quam pro hominibus fuerint'. Cratyl. 392 B (15, 17) *μείζω ἐστὶν ἢ κατ' ἐμὲ καὶ σὲ ἐξευρεῖν*, similis 439 B (87, 2); 429 D (72, 11) *κομψότερος ὁ λόγος ἢ κατ' ἐμὲ καὶ κατὰ τὴν ἐμὴν ἡλικίαν*, Phaedon. 94 E (149, 14) *πολὺ θειοτέρου τινὸς πράγματος ἢ καθ' ἁρμονίαν*, 108 D (171, 5) *χαλεπώτερον .. ἢ κατὰ τὴν Γλαύκου τέχνην*, Phaedr. 279 A (74, 2) *ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους*, Reipubl. II 359 D *νεκρὸν .. μείζω ἢ κατ' ἄνθρωπον*, VI 506 E *πλέον γάρ μοι φαίνεται ἢ κατὰ τὴν παροῦσαν ὁρμὴν ἐφικέσθαι τοῦ γε δοκοῦντος*, Phileb. 48 E *δοξάζειν εἶναι πλουσιώτερον ἢ κατὰ τὴν αὐτῶν οὐσίαν*, Politic. 257 B *οἳ τῇ τιμῇ πλέον ἀφεστᾶσιν ἢ κατὰ τὴν ἀναλογίαν τὴν τῆς ὑμετέρας τέχνης*, 275 B *τοῦτο μεῖζον ἢ κατὰ βασιλέα εἶναι τὸ σχῆμα τὸ τοῦ θείου νομέως*, Tim. 40 D *περὶ τῶν ἄλλων δαιμόνων εἰπεῖν .. μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς*, Leg. IV 707 E (102, 20) *ὡς ὄχλου τινὸς .. γεγεννημένου πλείονος ἢ κατὰ τὴν ἐκ τῆς γῆς τροφήν*, V 740 A (140, 14) *ἐπειδὴ τὸ τοιοῦτον μεῖζον ἢ κατὰ τὴν νῦν γένεσιν καὶ τροφὴν καὶ παίδευσιν εἴρηται*, VI 775 A (178, 30) *ἀνάλωμα δὲ μὴ γίγνεσθαι πλέον ἢ κατὰ τὴν οὐσίαν μηδενί.* Eundem habet sensum Phileb. 12 C *τὸ δ' ἐμὸν δέος .. οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον.*

7) *κατὰ φύσιν* centum et novem exhibent loci. Hac formula utendi rationibus illustrandis haec inserviant exempla e Legibus sumpta: I 626 A (2, 32) *πάσαις πρὸς πάσας τὰς πόλεις ἀεὶ πόλεμον ἀκήρυκτον κατὰ φύσιν εἶναι*, 636 B (16, 1) *δοκεῖ τοῦτο τὸ ἐπιτήδευμα καὶ κατὰ φύσιν τὰς περὶ τὰ ἀφροδίσια ἡδονὰς .. διεφθαρκέναι*, 636 C (16, 8) *ἡ περὶ ταῦτα ἡδονὴ κατὰ φύσιν ἀποδεδόσθαι δοκεῖ*.

8) *καθ' ὅσον* breviter dictum pro *κατὰ τοσοῦτον, καθ' ὅσον, κατὰ δύναμιν, κατὰ τὸ δυνατόν* plerumque verbis pollendi adnexa haud raro occurrunt (148); plurimos sibi vindicat locos formula *καθ' ὅσον*. Satis est haec exempla afferre: Criton. 51 A (79, 10) *καθ' ὅσον δύνασαι*, Lysid. 215 A (75, 30) *ὁ ἀγαθός, καθ' ὅσον ἀγαθός, κατὰ τοσοῦτον ἱκανὸς ἂν εἴη αὑτῷ*, Phaedr. 249 C (32, 10) *κατὰ δύναμιν*, Phaedon. 67 C (103, 5) *οἰκεῖν κατὰ τὸ δυνατὸν .. μόνην καθ' αὑτήν*.

9) Iam omnes eos huius generis locos, qui supersunt, enumerabimus. Omnia nimirum, quae similia sunt, congeremus dialogorum temporis ordine servato. Apolog. 22 A (33, 20) *μοι .. ζητοῦντι κατὰ τὸν θεόν*, secundum dei iussum sive ut a deo iussus sum. Idem 23 B (35, 15). Similis est Legum III 682 A (70, 31) *ἃ περὶ τῶν Κυκλώπων εἴρηκεν, κατὰ θεόν πως εἰρημένα καὶ κατὰ φύσιν*. H. Mueller[1]) vertit »sind Eingebungen eines Gottes«. Apolog. 26 B (40, 5) *κατὰ τὴν γραφήν* — Euthyphr. 5 D (7, 6) *καὶ ἔχον* (sc. *τὸ ἀνόσιον*) *μίαν τινὰ ἰδέαν κατὰ τὴν ὁσιότητα*. Sic cod. B, D, quae probavit Baiter, Schanz uncis inclusit; E, c[1], d: *κατὰ τὴν ἀνοσιότητα*. Ego in textum receperim *κατὰ τὴν ἀνοσιότητα*, quae Fritzsche in huius dialogi editione ad hunc locum sic interpretatur »quatenus impium est« — Protag. 315 A (57, 24) *οἱ δὲ κατὰ τὴν φωνὴν ἕπονται κεκηλημένοι* pro solito dativo pendenti a verbo *ἕπεσθαι*. Idem accidit Cratyl. 437 B (84, 7) *εἰ κατὰ τὸ ὄνομά τις ἀκολουθήσει*, sed paulo ante 436 B (82, 14) scriptum vides *ἀκολουθοῖ τοῖς ὀνόμασι*. Tim. 89 E *κατὰ τὰ πρόσθεν ἑπόμενος*, Leg. IX 859 A *τὰ δὲ τῶν ἄλλων κατ' ἐκεῖνα ξυνεπόμενα*. Stallbaum vertit »oportet illis esse con-

---

1) Platon's sämmtliche Werke übersetzt von H. Müller, mit Einleitungen von K. Steinhart vol. VII 2 pag. 77.

sentanea« — Protag. 317 C (60, 22) οὐδενὸς ὅτου οὐ πάντων ἂν ὑμῶν καθ' ἡλικίαν πατὴρ εἴη, 326 D (71,6) γράφειν κατὰ τὴν ὑφήγησιν τῶν γραμμῶν, 351 C (100,7) καθ' ὃ ἡδέα ἐστίν, ἆρα κατὰ τοῦτο οὐκ ἀγαθά — Charmid. 173 B (26,1) ἄλλο τι κατὰ τὰς ἐπιστήμας ἂν πράττοιτο — Menon. 76 D (124, 1) σοὶ κατὰ συνήθειαν εἴρηται, 79 A (127,24) καθ' ἃ (= παραδείγματα) δέοι ἀποκρίνεσθαι. Porro sunt eiusmodi loci: Sophist. 221 C (8,28), Politic. 275 B, 305 E, Tim. 31 A, 38 B, Leg. IV 722 A (121,13) — Gorg. 448 C (3,9) ἐμπειρία μὲν γὰρ ποιεῖ τὸν αἰῶνα ἡμῶν πορεύεσθαι κατὰ τέχνην, ἀπειρία δὲ κατὰ τύχην. Similia Reipubl. I 347 A, Politic. 293 A, 299 E — Cratyl. 398 C (24,31) γίγνεται δαίμων κατὰ τὴν τῆς φρονήσεως ἐπωνυμίαν, 398 D (25,13) ἐὰν σκοπῇς καὶ τοῦτο κατὰ τὴν Ἀττικὴν τὴν παλαιὰν φωνήν, 401 C (30,4) κατὰ τὸ ἕτερον ὄνομα τούτων ἡ τῶν πραγμάτων οὐσία Ἑστία καλεῖσθαι, 409 E (42,19.20) ταῦτα κατὰ τὴν Ἑλληνικὴν φωνὴν ὡς εἰκότως κεῖται, ἀλλὰ μὴ κατ' ἐκείνην, huc refer. 419 B (56,8); 425 B (66,2) οὐ καθ' ὁδὸν (sc. ᾖ), Stallbaum »non rationi conveniens«, Reipubl. IV 435 A καθ' ὁδόν τε λέγεις. Cratyl. 435 E (81,28) κατὰ τοῦτο δή μοι δοκεῖς λέγειν ὡς — Phaedon. 111 C (175,14) τόπους δ' ἐν αὐτῇ (= γῇ) εἶναι κατὰ τὰ ἔγκοιλα αὐτῆς. Schleiermacher [1]) vertit »nach Massgabe ihrer Höhlungen« — Lysid. 215 A (75,31) ὁ δέ γε ἱκανὸς οὐδενὸς δεόμενος κατὰ τὴν ἱκανότητα. Schleiermacher [2]) »so weit dieses Genügen geht« — Phaedr. 259 D (46,1) Τερψιχόρᾳ τοὺς ἐν τοῖς χοροῖς τετιμηκότας αὐτὴν ἀπαγγέλλοντες ποιοῦσι προςφιλεστέρους, .. καὶ ταῖς ἄλλαις οὕτως, κατὰ τὸ εἶδος ἑκάστης τιμῆς. Eiusmodi sunt: Cratyl. 424 C (64,24), Leg. X 901 B. Phaedr. 265 E (55,14) τὰ εἴδη τέμνειν κατ' ἄρθρα. Schleiermacher [3]) optime reddit »gleichmässig wie jedes gewachsen ist«. Similia verba occurrunt: Phileb. 23 C, Sophist. 266 A (79,17. 18), Tim. 36 B. Phaedr. 271 A (62,28) ἢ κατὰ σώματος μορφὴν πολυειδές (sc. ἡ ψυχή) — Reipubl. II 364 E βίβλων ὅμαδον παρέχονται, .. καθ' ἃς θυηπολοῦσι, V 451 C κατ' ἐμὴν δόξαν οὐκ ἔστ' ἄλλη ὀρθὴ παίδων .. κτῆσις .. ἢ κατ' ἐκείνην τὴν ὁρμὴν ἰοῦσιν, ἥνπερ τὸ πρῶτον ὡρμήσαμεν, 463 D ἢ καὶ τὰς πράξεις πάσας κατὰ τὰ ὀνόματα πράττειν (sc. νομοθετήσεις), 477 B ἐπ' ἄλλῳ ἄρα τέτακται

1) II 8, 118. — 2) I 1, 200. — 3) I 1, 147.

